HORTUS BOTANICUS
VINDOBONENSIS,

SEU

PLANTARUM RARIORUM,

QUÆ

IN HORTO BOTANICO VINDOBONENSI,

AUGUSTISSIMÆ

MARIÆ THERESIÆ

MUNIFICENTIA REGIA

IN

UNIVERSITATIS PATRIÆ

EXCELLENS ORNAMENTUM PUBLICAMQUE UTILITATEM EXSTRUCTO,

COLUNTUR,

ICONES COLORATÆ ET SUCCINCTÆ DESCRIPTIONES.

CURA ET SUMPTIBUS

NICOLAI JOSEPHI JACQUIN

BOTANICES PROFESSORIS.

VOL. II.

VINDOBONÆ,

TYPIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,

AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.

MDCCLXXII.



HORTUS BOTANICUS VINDOBONENSIS.

TABULA CENTESIMA PRIMA.

DOLICHOS PUBESCENS. *Linn. syst. pag.* 483.

Annuæ hujus plantæ cotyledones glabræ, vix pollicares, petioloque brevi & hirsutulo suffultæ figuram habent ex subrotundo cordatam parumque obliquam. Caulis est teres, volubilis, totusque obsitus mollibus pilis. Folia sunt ternata, ex foliolis ovatis aut lanceolatis, acuminatis, integerrimis, utrinque pilosis, ad oras etiam parum ciliatis, lobo interiore magis minusve angustiore; petiolis quoque pilosis. Stipulæ ad foliola & in pedunculis sunt setaceæ; ad petiolos communes in caule ramisque ex ovato acuminatæ, hirsutæ, basibus deorsum non productis. Pedunculi communes brevissimi & triflori insident axillis. Flores brevissime pedunculati sibi mutuo succedunt, floretque intermedius ante laterales. Calyx pilosus, corolla ad unam tertiam partem brevior, erigitur; ex tubo brevi leviterque compresso in duo labia desinit subulata; quorum inferius tribus constat laciniis, infima paulo reliquis longiore; superius unica cum apice bifido. Corollæ vexillum levissime emarginatum ac obverse cordatum erigitur, connivet, ungui insistit brevissimo, callisque instruitur nullis, ex sulphureo pallens cum macula centrali ex fusco purpurascente in facie, in dorso etiam pellucente. Alæ sublineares, obtusæ, vexillo concolores, erectæ & superne concavæ in unguem brevem desinunt. Carina oblonga, obtusa, subfalcata, albidaque longitudinem habet situmque alarum. Filamenta diadelpha ancheras gerunt luteas. Germen oblongum, compressum & hirsutum terminatur in stylum subulatum, stigmate donatum capitato & obtuso. Legumen sesquipollicare, oblongum, valde compressum, acuminatum, rectum, hirsutum, fuscum & nutans continet semina pauca, rotundato-reniformia, lentis adinstar compressa cum margine acuto, nitida, saturate cinerascentia cum maculis fuscis. In caldario floruit copiose Septembri & Octobri; Decembri paucissima legumina perfecit. Dium æstate languens tulit. Linnæus pro patria Americam adsignat. Videtur a genere Dolichi aliena planta.

TABULA CENTESIMA SECUNDA.

PHASEOLUS VEXILLATUS. *Linn. syst. pag.* 481. *spec. pl. pag.* 1017.
Phaseolus flore odorato, vexillo amplo patulo. *Dill. Elth. pag.* 313. *tab.* 234. *fig.* 302?

Ex America torrida redux semina attuli, quæ ante quinquennium in caldario sata lætissime germinarunt, a quo tempore omnium radix in hunc usque diem perennavit, produxitque quotannis fibrosa & ligneſcens caules plures herbaceos, annuos, tereres, hirsutos, volubiles, longissimos & ramosissimos. Foliola sunt ovata, acuta cum terminatrice setula, integra, subpilosa & scabriuscula; lobo lateralium interiore duplo triplove angustiore. Petioli hirsuti sulco antice exarantur. Stipulæ ad petiolos particulares locantur setaceæ; ad exortum petiolorum communium hastatæ, pilosæ basique solutæ. Pedunculi longi, teretes, & glaberrimi aut asperi aut etiam raris pilis adspersi, in extremitate gerunt tres quatuorve flores capitatos & ferme sessiles, qui se mutuo in explicatione excipiunt. Calyx glaber bilabiatus & semiquinquefidus dividitur in lacinias lanceolatas, in acumen attenuatas & fere æquales; auctus ad basin bracteis duabus oppositis parvis ex lanceolato linearibus. Corolla elegans suavissimum odorem spirat. Vexillum amplum & interne lineatum dilute purpurascit, interdum albescit magis, rarius cœruleſcit; totumque reflectitur. Alæ saturatius coloratæ & obtusæ cum carina pallida & genitalibus in spiram haud manifestam contorquentur, & obliquo locantur situ; cæterum sibi simillimæ, nec altera ad basin lobata. Carina falcata conniver cum ore hiante; inque sinistra parte, nec similiter in dextra opposita, emisso gibbo conico insigni protuberat. Filamenta diadelpha antheris donantur luteis. Stylus infra stigma capitatum virensque pubescit valde. Legumen lineare, teres, rectum, acutum, subhirsutum, fuscum & tres quatuorve uncias longum semina includit a decem ad octodecim subreniformia, aut atra, aut ex fusco nigroque non eodem modo variegata; quæ maturum, elastice dissiliendo, valvulasque spiraliter intorquendo, elabi cogit. Floret totam æstatem. Decembri caules pereunt, Aprili prodeunt novi. Non ausus fuissem hanc plantam proponere pro Phaseolo vexillato Linnæi, propter discrimina descriptionum, nisi ipse vir illustris pro sua in litteris ad me datis agnovisset. Dillenii synonymum hinc dubitanter adjeci.

TABULA CENTESIMA TERTIA.

HIBISCUS SPINIFEX. *Linn. syst. pag.* 463.
Abutilon americanum, fruticosum, folio subrotundo, flore luteo, fructu aculeato majore. *Phan. ic.* 1.

In insularum Caribæarum fruticetis maritimis crescentem hanc stirpem vidi, inter quæ debilis se sustentabat, nec habitum in nostris culta caldariis mutavit. Jam primo ætatis anno floret, humanam ferme altitudinem adepta, postea elevans se ad viginti pedes. Truncus pollicem crassus in paucos ramos longos, virgatos, teretes & erectos dispescitur, juniores scabriusculos. Folia habet ex cordato ovata, crenata, indivisa vel obsoletissime angulata, haud admodum acuta, utrinque scabriuscula, petiolata, alterna. Pedunculi uniflori & solitarii alis foliorum insident, petiolorum circiter longitudine. Calyx componitur ex duplici serie foliorum linearium vel lanceolatorum, & ad oras piloſorum; exterior quinis, quem etiam nunc pluribus variantem observo; interior semiquinquefidus est. Corolla magna, lutea, elegans, inodora, & subcampanulata formatur ex petalis quinque obverse ovatis, dorsoque nervosis. Antheræ sunt aurantiacæ. Germen pilosum. Fructus constat capsulis quinis, unilocularibus, monospermis, non dehiscentibus,

&

& maturis ab invicem discedentibus. Hæ singulæ spinis armantur ternis. Spinæ laterales quarumlibet duarum vicinarum capsularum adeo se invicem contingunt, ut sæpe unicam mentiantur. Semina solitaria & oblonga nigricant. In caldario floret Octobri & Novembri.

TABULA CENTESIMA QUARTA.

JUSTICIA CILIATA.

Radix fibrosa & pallida caulem herbaceum, in ipso jam exortu in ramos longos; ceu totidem caules divisum, emittit. Atque hi sunt teretes inferne, superne obsolete quadrangulares, erecti, debiles, pilosi, sesquipedales, superne parum ramosi. Folia in toto caule locantur opposita, hirsuta, petiolo ciliato donata, lanceolata, integerrima, obtusiuscula, facie atrovirentia, patentia, inferiora ad distantias remota, summa dense & veluti imbricatim congesta, hinc spicæ tetragonæ speciem formantia. In omnium foliorum axillis flores ponuntur solitarii, sessiles, parvi & inodori. Bractea singularis utrinque flori adstat sublinearis, viridis, ciliata pilis longis albidis. Calycis foliola quinque persistunt, bracteis similia, sed breviora ad duplum. Corollæ calyce brevioris tubus deorsum antice gibbosus tumet & albescit. Labium inferius tubo duplo longius planum & patentissimum in marginem lateſcentem & æqualiter trifidum desinit, totum album, excepis ad originem gibbulis binis sulphureis cum totidem antepositis punctis fulvis. Labium superius est ovatum, bidentatum, brevius, concavum, erectum, utrinque fuscescens cum striis longitudinalibus flavis. In hoc labio locantur stamina duo. Anthera quælibet flava in crura bina inferne dividitur, quorum alterum internum brevius est & liberum; alterum externum in filamentum abit inflexum. Styli subulati stigma est bifidum. Capsula compressa, ex orbiculato utrinque acuminata, glabra, fusca, structuræ congenerum, in quolibet loculamento semen unicum continet reniforme, atrum, compressum, pulvere veluti sordens, transverse locatum, apice & basi instructum cespite pilorum fuscescentium, qui microscopio examinati sunt teretes, subulati, pellucidi, & dissepimentis transversis in plures concamerationes divisi. Tota planta scabra est. Floret in caldario totam æstatem. Patriam ignoro. In magnitudine naturali in tabula a latere proponuntur capsula integra, ejus valvula cum ungue elastico, semen cum pilis, idem pilis absersis nitens, flos integer cum bracteis, & corolla; auctæ vero lentis ope pars superior seminis coronata pilis, & corolla cum abscisso labio inferiori, ut conspiciantur stamina in hoc flore singularia.

TABULA CENTESIMA QUINTA.

DIGITALIS LUTEA. *Linn. syst. pag.* 414.

Digitalis foliis calycinis lanceolatis, galea bifida, faucibus immaculatis. *Hall. hist. helv. num.* 332.

Digitalis flore minore subluteo, angustiore folio. *Bauh. hist.* 2. *p.* 814.

Digitalis flore luteo minore. *Riv. mon. irr. tab.* 105.

Digitalis lutea parva. *Lob. ic.* 573.

Digitalis major lutea vel pallida, parvo flore. *Bauh. pin.* 244.

Digitalis angustifolia lutea. *Bauh. pin.* 244.

Digitalis quarta. *Dod. pempt.* 2. *l.* 1. *c.* 13.

Radix primo anno ætatis sola folia radicalia producit; insequentibus caules, qui sunt bipedales vel altiores, erecti, obsolete angulati, simplicissimi & glaberrimi. Hos per totam longitudinem sparsim ornant folia ex lanceolato oblonga, acuminata, obiter serra-

ta, glabra, sessilia, facie saturate virentia, subfœtida, floralia integerrima, infima & radicalia magis attenuata. Flores in pedunculis brevibus de axillis egrediuntur solitarii. Omnino autem numerosi versus unum latus flectuntur, sic spicam densam & elegantem formantes semipedalem aut longiorem. Hæc apice nutat adolescens, sensimque eo erigitur magis, quo flores magis superiores explicantur. Foliola calycina sunt lanceolata, glabra, acuta, & inferiora duo reliquis pauxillo latiora. Corolla tubulosa & bilabiata ex sulphureo albicat. Limbus interne flavet. Labii superioris patentis & bipartiti laciniæ semiovatæ & acutæ ad oras leviter pubescunt. Inferioris tripartiti laciniæ laterales ad exortum singulæ notantur geminis punctis atropurpureis, cæterum sunt simillimæ laciniis labii superioris. Lacinia intermedia vero longior, amplior, obtusissima & rotundata recta porrigitur, colore maculatur ferrugineo, pilisque albidis supra basin vestitur. Faux glabra atque immaculata conspicitur. Filamenta albent. Antheræ sulphureæ transversimque bifidæ ante pollinis explosionem fingunt crucem. Stigma est simplex & obtusum. Capsula ex subrotundo ovata & acuminata continet semina rufa. Floret Junio & Julio. Interdum in planta sylvestri flores sunt dimidio majores, quam in depicta, etiam pauciores magisque remoti; folia quoque latiora; at reliqua eadem. In Austria sylvestrem non inveni. In ducatu Wirtembergensi frequentem vidi. Propterea nostratem Digitalem, quam habet Hallerus sub numero 331, quamque optime seporavit a Digitali lutea Linnæi, primo in enumeratione stirpium agri Vindobonensis consideraveram ceu varietatem Digitalis purpureæ, postea dubitanter in observationibus propositam pro lutea Linnæana demptis synonymis, duplici errore. Quumque pergant confundere ambas nonnulli, hinc iconem & descriptionem amplam Digitalis luteæ Linnæanæ dedi in hoc opere, dum alterius figuram in tabula quinquagesima septima Floræ Austriacæ exhibui.

TABULA CENTESIMA SEXTA.

TRAGOPOGON CALYCULATUS.

Sub titulo Scorzoneræ angustifoliæ semina ex Italia accepi. Nova mihi planta videtur, Scorzoneris valde affinis. Radix perennat, foris nigricans, intus alba, pollicem crassa, succo turgida ex flavo albente, ad aëris attactum fuscescente, quem læsæ etiam fundunt plantæ partes reliquæ. Sub dio sata, altero anno floruit, & sic nunc pergit florere quotannis; sed semina nedum ulla matura dedit. Ex capite radicis nullus caulis exivit, sed foliorum dumtaxat radicalium fasciculus; ad quorum ambitum caules prodiere plures adscendentes, teretes, sesquipedales, villosi & foliosi; cujusmodi caulem singularem tabula repræsentat. Producuntur illi in pedunculum pene aphyllum, striatum, pubescentem, fistulosum, sub flore incrassatum, eoque unico terminatum. Ex ala unius alteriusve folii pedunculus similis exoritur in aliis; in aliis iterum nullus. Flores nedum expansi, pedunculis recurvatis, terram versus omnes pendent. Calyx veluti duplex erigitur, interior longior, uterque circiter octophyllus. Squamæ omnes in marginem membranaceum attenuantur, lanceolatæ & acuminatæ. In fructu calyx est angulatus. Corolla inodora & utrinque flava cum antheris & stigmate concoloribus. Calyx fructiger nedum explicatus penicillum refert, qualis adstat depictus ad latus. Receptaculum est nudum. Semina longa pappo instruuntur rigescente, subplumoso, basi flavo, superne purpurascente. Folia radicalia & caulina sunt sublinearia, acuminata; infima & radicalia inferne canaliculata & utrinque pilosa; superiora plana soloque fere dorso hirsutula. Floret Junio.

TA-

TABULA CENTESIMA SEPTIMA.

ASCLEPIAS INCARNATA. *Linn. syst. pag.* 193.
Apocinum minus rectum canadense. *Corn. can.* 9. t. 93. *Barr. ic.* 72.

Tota planta lacte niveo glutinosoque scatet. Radix constat fibris numerosis, albis, teretibus, calamum crassitie æquantibus, semipedalibus aut longioribus; & perennat. In caulibus primi anni folia sunt sæpe omnia quaterna; nec flores in his caulibus proveniunt. Postea autem folia variant, ut sint opposita, terna vel quaterna; suntque ex lanceolato oblonga, acuta, integerrima, plana, glabra & petiolata. Caules plurimi, digitum minimum crassi, tripedales, medulla farcti, annui, aut rectissimi aut flexu uno alterove (uti in specimine depicto) incurvati, basi ex cæruleo purpurascunt, cæterum virent; superne divisi in ramulos pedunculiformes. Cortex e caule facile separandus, in fila tenuissima simulque tenacissima solvi interne potest, vix manuum vi rumpenda; unde forsitan in usum aliquem cedere œconomicum planta posset eo magis, quod radix perennet, & hyemem nostram facillime ferat sub dio. Pedunculi communes & ramuli florigeri terminales subpubescunt. Rarius rami axillares producunt flores. Umbellæ sunt erectæ & densæ. Involucra constant foliolis subulatis brevibusque. Pedunculi proprii vix unciales pubescunt & purpurascunt. Flores odore pollent Vanillæ aliquo. Calycis foliola sunt lanceolata & acuminata. Petala ex purpureo rubent, & tota reflectuntur. Nectarii cornicula erecta ex purpureo pallent. Flos sicu structuraque partium omnimode congruit cum Asclepiade curassavica, cujus alibi descriptionem dare cogito. Fructus glabri congenerum sistuntur una cum seminibus depicti ad latus. Floret Julio. Semina fert Septembri.

TABULA CENTESIMA OCTAVA.

SALVIA ÆGYPTIACA. *Linn. syst. pag.* 64.
Horminum ægyptium, minimum, ramosissimum. *Boerh. lugd.* 1. *p.* 66.

Radix fibrosa, lignosa, & perennans caulem producit jam in ipsa basi ramosum, in calcario inferne lignosum & perennantem, pedalem, tandem ramosissimum, debilem, plus minus obsolete tetragonum, juvenem hirsutum. Folia sunt opposita, sublanceolata, acuta, denticulata, rugosa, venosa, sessilia, uncialia vel paulo longiora, odoris aromatici pauci; petiolis & venis dorsalibus in planta tenella pilosis, cæterum nuda. In ramis elongatis & loco foliorum bracteis tantum minutis præditis flores breviter pedicellati locantur ad varias distantias solitarii bini vel terni & minuti. Calycis angulati & utrinque hirsuti labium superius subintegerrimum est; inferius profunde bifidum & acuminatum. Corollæ albæ labium superius est bifidum; laciniis angustis & acutis. Labii inferioris laciniæ laterales prioribus sunt similes; intermedia autem subrotunda & ampla limbum habet crenatum cum fascia violacea aut purpurea. Antheræ cærulescunt. Semina sunt ovalia, glabra & nigra.

TABULA CENTESIMA NONA.

SAPONARIA PORRIGENS. *Linn. mant. pag.* 239.
Lychnis chalepensis annua, foliis parum hirtis, angustis, flosculis carneis, pediculis infirmis biuncialibus, capsulis fere rotundis. *Moris. hist.* 3. *pag.* 541.

Bonam Linnæi descriptionem repetam, ut aliqua figuram concomitetur. Ex radice annua, alba & ramosa caulis exsurgit bipedalis, calamum crassus, teres, erectus, articulato-nodosus, inferne glaber, superne mollibus pilis totus obsitus ac viscosus, vel ab ipsa ramosus basi, ramis patentissimis ac veluti per dichotomiam subdivisis. Folia sunt opposita, sessilia, integerrima; inferiora ex oblongo lanceolata, ad tactum pinguia & glabra; superiora lanceolata, acuminata, pubescentia & viscida. Pedunculi solitarii, uniflori, capillares, laxi & ad minimum plantæ motum tremuli, glabri, & pollicares, egrediuntur de latere exteriore ramorum ad divisionem eorundem omnium inter folia opposita, in florescentia patentes, in fructescentia penduli. Calyx est oblongus, tubulosus, quinquesulcatus & pubescenti-viscidus. Petala absque corona sunt plana & pallide carnea, ex unguibus longis supra calycem in collum coarctata, hinc in limbum obverse cordatum & brevem. Stamina alba includuntur floris tubo. Germen ovatum transit in capsulam ex ovato subrotundam, obtusam, nitidam, calyce tectam, unilocularem, quadrivalvem, & semina continentem plura, atra, angulata & rugosa. Floret Julio & Augusto. Semina maturantur Septembri.

TABULA CENTESIMA DECIMA.

COREOPSIS ALTERNIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 571.

Chrysanthemum virginianum, alato caule, bidens altissimum, folio aspero, flore minore serotino. *Moris. hist.* 3. *pag.* 25. *s.* 6. *t.* 7. *f.* 75.

Chrysanthemum virginianum, caule alato, ramosius, flore minore. *Pluk. alm.* 100. *t.* 159. *f.* 3.

Corona solis altissima, caule alato. *Tourn. inst.* 490. *Zanon. rar. pag.* 85. *t.* 58.

Radix lignosa & perennis sub dio profert caules plures annuos, erectos, angulatos, medulla alba repletos, a foliorum utrinque decurrente margine totos quam maxime alatos, uti videre est ex parte caulis magis inferiore seorsim exhibita, a quinque ad decem pedes altos, simplices, nec ramosos præterquam in sola summitate, ubi brevissima est subdivisio in pedunculos teretiusculos & villosos. Folia sunt oblonga, utrinque attenuata, acuta, subserrata, utrinque scabra, sordide virentia; inferiora terna, quaterna vel opposita; reliqua omnia alterna. Calyx patentissimus vel etiam totus reflexus constat ex duplici serie foliorum oblongorum, acutorum, virentium, glabriusculorum, & flosculis disci breviorum, numero incerto. Corollulæ in radio fæmineæ a quatuor ad octo luteæ abeunt in limbum apice subdentatum, valde concavum cum lateribus involutis. Antheræ nigrescunt. Utriusque generis flosculus etiam ad latus separatim exhibetur. Flores leviter odorati sunt, & tandem Octobri atque Novembri explicantur; unde rarissime apud nos semina ad maturitatem perveniunt.

TABULA CENTESIMA UNDECIMA.

SCABIOSA TRANSYLVANICA. *Linn. syst. pag.* 112.

Scabiosa altissima annua, foliis agrimoniæ nonnihil similibus. *Moris. hist.* 3. *pag.* 46. *s.* 6. *t.* 13. *f.* 13.

Scabiosa transylvanica, foliis agrimoniæ. *Breyn. prodr.* 1. *pag.* 94.

Planta annua caule est erecto, tripedali vel altiori, aut glaberrimo aut piloso subasperoque, inferne tereti, superne in parte ramos inferiores proximos spectante sulcato, in extremitate per dichotomiam in pedunculum intermedium duosque ramos laterales termi-

minato, emittente ramos patulos oppositos divisosque. Folia summa quædam integerrima sunt & sublinearia; reliqua omnia pinnatifida, lobis exterioribus majoribus & extimo longiori; radicalia & subsequa caulina plus minus hirsuta, caulina reliqua ramealque magis angusta & subpilosa aut glabra, cum laciniis infimis connivendo amplexicaulibus. Folium radicale & ex caule medio aliud seorsim exhibentur. Calyx communis ovatus & acutus componitur ex foliolis & paleis numerosis membranaceis mucronato-aristatis. Corollulæ pallide cæruleæ sunt quadrifidæ & radiantes. Lacinia radiantium extima maxima transversum habet rugam a paleæ præterita petali adhuc dum convoluti superstitem. Fructus compositus ovatus & obtusus constat ex paleis aristatis patulis, & ex seminibus ovalibus subpilosis calyculo parvo dentato coronatis. Floret Augusto & Septembri.

TABULA CENTESIMA DUODECIMA.

NEPETA ITALICA. *Linn. syst. pag.* 390.
Mentha cataria minor alpina. *Bauh. pin.* 228. *prodr* 110.

Radix perennis & lignosa primo ætatis anno folia profert foliata, altero & sequenti sequis caules plurimos pedales & sesquipedales, obtuse tetragonos, villosos, adscendentes, annuos & parum ramosos. Folia sunt cordata, crenata, obtusa, subvillosa, subrugosa, pallide nec amœne virentia cum maculis adspersis albidis, petiolata omnia. Spicæ florum terminales constant ex verticillis densis, plus minusve remotis. Verticillos flores efficiunt sessiles plurimi. Hos ovalibus bracteæ lanceolatæ, acuminatæ, concavæ, numerosæ, longitudine calycum, in medio virentes, lateribus attenuatis albentes, villosæque. Calycis striati & pubescentis denticuli eriguntur, superiores paululo longiores. Corolla ex carneo albescit. Antheræ bifidæ saturate purpurascunt. Hæ in flore post perfectam fecundationem sæpe extra corollam ad latus prominent, inflexis filamentis; quod etiam in aliis plurimis didynamis observatur. Reliqua sunt characteris Linnæani. Quæ citatur a Tournefortio & Caspare Bauhino Besleri figura, in nostram plantam minime quadrat. Radix hyemem apud nos sub dio non fert, hinc transigere illam in hybernaculo debet. Tota odore aromatico gaudet.

TABULA CENTESIMA DECIMA TERTIA.

SOLANUM HYBRIDUM.

Parva fruticosa, [illegible] pedalis, & [illegible], quin per tres annos perennavit agens æstatem sub dio & hyemem [illegible] sub dio, sic sempervirens & semperflorens. Truncus teres, digitum crassus, g[illegible], naturæ est lignosus & cinereus, cæterum viridis. Ramorum vade patentium pars superior tomento pulverulento obducitur. Folia sunt ovata, acuta, utrinque tomentosa, repando-angulata, aut magis integra, pallide virentia, undulata, petiolata, ex altera parte ad basin plerumque magis producta, tenella proleuntia in margine & dorso pulvere violaceo adspersa. Pedunculi tomentosi, ex fusco violacei, racemosi, tum alii pauci umbellati, paucissimique uniflori. Calyx tomentosus est. Corolla rugosa, pallide cærulea, limbo ampio ad medietatem diviso in laciniis quinque, sex vel decem, quam crebrem divisionem sequuntur calyx & stamina; ita ut in ultima floris veluti duplicati adsint etiam pistilla gemina. Ut in pluribus Solanis accidit, ita etiam in hoc flores sunt aliqui, stigmatis defectu vel vitio abortantes. Fructus est subrotundus, depressus, nudus, obsoleto & inæqualiter aut etiam vix sulcatus, inermis, pendulus, coloris aurantiaci, cortice crasso & coriaceo, pulpa odoris ingrati cucumerini. Numerosissimos

mos inter fructus, semper effœtos, unicum tandem nuperrime eumque primum inveni, qui semina continuit albida, reniformia & duas lineas longa. Aculei glabri, validi, recti aut recurvati, adsunt in caule ramisque pauci; in foliorum nervo medio principibusque venis utrinque etiam pauciores, vel omnino nulli; in calycibus racemis petiolisque rari. Non possum ad ullam ex Linnæanis plantis reducere, nec alibi magis convenienſ synonymum reperire potui.

TABULA CENTESIMA DECIMA QUARTA.

PHASEOLI LUNATI VARIETAS?

Toto ita habitu hæc planta congruit cum Phaseolo rufo in tabula trigesima quarta depicto, ut distingui præterquam in seminibus nequeat. Hic autem semina habet nunquam rufa aut badia, sed aut cinerascentia aut ferruginea cum lineis ab hilo ad circumferentiam productis; interdum etiam punctis obscurioribus notata. Ex Italiæ hortis sine titulo transmissa fuerunt. Aliam etiam sive speciem sive varietatem ex Insula Borbonia advectam sub titulo Phaseoli ex Achery ab illustri Lemonnier accepi, solis etiam seminibus a Phaseolo rufo diversam, quorum specimina ab alio latere depingi quædam curavi, valde elegantia, ex carneo albo rubro purpureoque varia. Constantissimæ manent in horti caldariis hæ plantæ. Si varietates quis velit, omnes possunt ad Phaseolum lunatum referri.

TABULA CENTESIMA DECIMA QUINTA.

TULBAGIA CAPENSIS. *Linn. mant.* 223. & 148.

Planta omnino singularis, habitu Allii, flore Hyacinthi cum coronula denticulata Silenes, tota quanta fortissimum spirat lateque spargit Allii fœtorem. Radix perennis carnosa & solida constat tuberibus connatis, plus minus subrotundis, diametri bipollicaris, extus fuscescentibus, intus albis, emittentibus fibrillas teretes calamum crassas, saporis acerrimi. Hæc tubera superiorem partem habent in circumferentia obliqua depressam, sulcisque circularibus, præteritorum foliorum totidem cicatricibus, exaratam, ut scapus & folia centrum solum increscentium sensim tuberum occupent. Folia sunt linearia, obtusa, unum alterumve pedem alta, nitida, læte virentia, numerosa, radicalia omnia, exteriora plana, interiora magis canaliculata. Scapus erectus in centro foliorum de tubere egreditur solitarius, erectus, leviter compressus & obsolete anceps, longitudine foliorum, superne spatha membranacea bivalvi albidaque terminatus. Ex hac successive sese efferunt pedunculi circiter quindecim, teretes, tenues, & unifiori, simul formantes umbellam raram & valde inæqualem. Flores cum hyacinthi orientalis odore suavi habent alliaceum fœtorem prævalentem. Eorum characterem integrum hic dabo, qualem in cuta planta observavi, quandoquidem ab hoc character Linnæanus, ex sicco Capensi specimine desumptus, aliquatenus discrepat. Dum florem attente examino, videtur hic constare perianthio & petalo, quoad tubum quidem connatis in unum corpus cylindricum, limbo solo distinctis. Sit itaque præter spatham jam descriptam perianthium monophyllum inferum & viride, cujus tubus oblongus & obsolete obtuseque trigonus in limbum abit triplo breviorem, divisum in sex laciniis ex oblongo lanceolatas, planas, & patentissimas vel etiam reflexas. Corollæ tubus (sive petalorum ungues) accrescit tubo calycis, ut unicum efficiant crassiorem. Hujus limbus dispescitur in sex laciniis lanceolatas, erectas, longitudine calycis, subacutas, rigidas, crassiores, ex rufo ferrugineas, per paria apice parum convergentes minusque profunde incisas. Filamenta sex, omnium brevissima, antheras ge-

gerunt incumbentes, didymas, sulphureas & ovatas. Horum tria, situ superiora, inferiuntur infra incisuras limbi corollæ minus profundas, reliqua tria situ inferiora alternantur cum præcedentibus. Germen subrotundum, obsolete trigonum & superum instruitur ad apicem poris tribus melliferis. Stylus staminibus brevior & crassius terminatur stigmate obtuso. Fructum nedum tunc, quem capsulam esse dicit Linnæus ovatam, subtrigonam, trilocularem & seminibus nonnullis refertam. In hybernaculo florui hoc anno mense Januario. Exhibentur etiam corolla discissa longitudinaliter cum staminibus, & pistillum.

TABULA CENTESIMA DECIMA SEXTA.

FUMARIA NOBILIS. *Linn. syst. pag.* 469.

Sibiricæ hujus plantæ semina celeberrimus Linnæus communicavit, unde enatæ plantæ quarto demum vitæ anno flores produxere, mense scilicet Aprili una cum Fumaria bulbosa, quacum maxime habitu congruit, vere tamen diversa. Radix, initio bulbosa & subtus cava, facta erat in florente planta, qualis depingitur, solida. Folia radicalia plura, spithamæa, bipinnata, glabra, ex glauco virentia; costa communi media pentagona & antice sulcata; lateralibus subtrigonis alternis; foliolis subrotundis, obtusis, lobatis & incisis. Caules etiam egrediuntur plures, angulati, inanes, tribus plerumque foliis ornati. Quartum summum folium, bracteæ adinstar, florem ex ala emittit, a spica remotum. Bracteæ inferiores sunt magis lobatæ, & foliis propterea similiores; superiores sunt ovatæ & integræ. Flores aurei, limbo luteo cum faucis prominentis apice nigricante, odorem spirant ad Primulam veris accedentem, & eadem sunt magnitudine in horto quam in Fumaria bulbosa, structuraque simili, sed labiis brevioribus magisque concavis, & calycis foliolis membranaceis albentibus & ex lanceolata figura in setam desinentibus. Facilius tamen distinguitur spica valde obtusa & depressa, caulibusque & petiolis angulatis. Caules plerumque obliquo parum divergunt a perpendiculo plantæ, rarius stant erecti; hujuscemodi tamen pingendam curavi ob commodiorem in tabula situm. Semina sunt atra & nitida.

TABULA CENTESIMA DECIMA SEPTIMA.

CELSIA ARCTURUS.

Verbascum Arcturus. *Linn. syst. pag.* 170. *mant.* 339.
Verbascum humile creticum laciniatum. *Bauh. pin.* 240
Verbascum brassicæ folio. *Col. ecphr.* 2. *p.* 81.
Verbascum sylvestre creticum. *Alp. exot. pag.* 123.
Arcturus creticus. *Bell. apud clus. hist. CCXCIX.*

Honorius Bellus, plantam hanc elegantem provenire in insula Creta inter saxa & super parietibus, narrat. Secundum systematis Linnæani principia merito Celsiæ, nec Verbasci, species est dicenda. Ex radice fibrosa, & albida, caulis exsurgit singularis, erectus, teres, sesquipedalis, villosus, foliosus, initio simplicissimus, tandemque ex alis foliorum superiorum ramosus. Folia sunt inæqualiter serrato-dentata, venosa, rugosa, & villosa. Radicalia & caulina inferiora pinnata, & longe petiolata; foliolis ovatis; extimo maximo; lateralibus minimis, paucis, alternis vel oppositis, nec inter se æqualibus. Caulina reliqua sunt integra; subsequa ovato-cordata & petiolata; summa cordata, acuta, sessilia, & gradatim minora. Ex horum singulorum axillis ad angulum rectum pedunculi exeunt solitarii, tenues, teretes, villosi, polycares, uniflori, oppositi vel alternantes.

Flo-

Flores ab inferioribus successive mutuo in explicatione excipiunt, unde tandem in longum veluti racemum caulis extenditur. Flores modori & speciosi calycem habent villosum. Eundem corolla longitudine bis superat, lutea, caduca, & tubo donata pentagono, ad limbi exortum hirsutissimo. Filamenta perpetuo quatuor, barba gaudent multa, partim albida, partim purpurea, inclinantur deorsum, & sunt infima duo reliquis longiora. Antheræ didymæ colore sunt fulvo. Capsula ex ovato subrotunda, levissime compressa, glabra, acuminata, & fusca, oblique parum in duas valvulas discedit adeo, ut valvula altera totum capsulæ acumen habeat. Semina minuta, rugosa, nigra. Reliqua omnia exacte quadrant in Celsiæ characterem. Floret a Julio ad Novembrium sub dio. Perficit semina Octobri & Novembri. Capsula matura conspicitur ad latus.

TABULA CENTESIMA DECIMA OCTAVA.

SIDA TRIQUETRA. *Linn. syst. pag.* 457

Plantam hanc descripsi in Historia stirpium Americanarum, cujus ob similitudinem figuram hic sisto, repetita descriptione explicatam. Habitum cultu non mutavit. Radici lignosæ & ramosæ truncus insistit, primo ætatis anno trigonus trisulcatus & jam quadripedalis, altero futurus teres & emerascens, crassitie digitum raro excedere mihi visus, erectus, tandem duodecimpedalis, nec tunc debilis sustinere se aptus, sed fruticibus vicinis egit, quos inter crescere etiam suevit. Rami sunt simplices, primo triquetri virentes & viscido-villosi, tandem teretes emerei glabri & virgati; in supremo caule ramisque primariis paniculata in planta florente, quorum postea plures marcescunt. Folia sunt cordata, in acumen angustata, dentato-crenata, utrinque tomento holosericeo, digitis quam maxime, oculis aegre conspicuo, mollissima, ex glauco virentia, subtus venosa nervosaque, tres quatuorve pollices longa cum petiolo tereti ad unam tertiam breviori in caule ramisque principalibus, reliqua minora, ex tribus angulis eadem successivo ordine egressa. Stipulæ sunt setaceæ aut lanceolatæ. Ex foliorum alis rami sæpe gemini exeunt, aut unicus cum pedunculo. Sunt autem pedunculi tenues, teretes, viscido-villosi & axillares. Calyx est subtomentosus, obsolete quinquangularis; laciniis lanceolatis, acuminatis & patentissimis. Corollæ luteæ petala obverse ovata basi maculam habent ex fusco rubram. Antheræ sunt luteæ. Germen quinquesulcatum stylis coronatur quinis. Capsula est oblongiuscula cum vertice depresso & quinque-acuminato, quinquesulcata, glabra, tunicadruscula, quinquelocularis, in totidemque valvulas dehiscens bidentatas & bivalves. In quolibet loculamento semina continentur circiter tria, subrotunda, rugosa, villosa & nigra. In insula sancti Dominici florentem vidi fructusque gerentem Novembri. In caldariis nostris floret ferme totam æstatem. Villi nimis curti non expressi fuerunt in figura.

TABULA CENTESIMA DECIMA NONA.

CYTISUS PSEUDOCAJAN

An varietas Cytisi Cajan. *Linn. syst. pag.* 489?

Vel an ipse Cytisus Cajan *eiusdem*?

In Observationum Botanicarum parte prima egi de Cytiso illo, cujus Sloaneus, Plumierus atque Browneus mentionem fecerunt, qui colitur passim in Americæ torridæ insulis, & quem Linnæus cum Cytiso Cajan, Indiæ Orientalis planta, eundem habuit. Ex Tranquebaria accepi semina, sub titulo pisorum Tranquebarensium, coloris rufi, hinc diversa a Cytiso illo Caribæo, cujus semina emerascunt simpliciter aut cum paucis adspersis pun-

punctis ferrugineis, & cum macula semper nigricante sub hilo. Eodem tempore ex dictis insulis etiam hæc semina mihi miserebantur, a unde mihi notissima, & quorum magna adhucdum copia mihi superest, quæ ipse aleuli, nunc effœta. Utriusque speciei semina plurima in caldarii eodem loco terræ mandavi, quæ germinarunt omnia felicissime. Brevi ad aliquam altitudinem pervectos fruices, nullo poteram modo distinguere; erant enim similimi. Sed tunc Tranquebarici omnes lætius increscere cœperunt, septimo jam mense humanam altitudinem adepti, floribus numerosis onusti, & ante ingruentem hyemem fructibus maturis. Non ultra augebantur Caribæi, nec florebant; & proximi anni æstate perierunt omnes. Tranquebarensibus tunc denuo copia florum fructuumque fuit. Idem accidit in horto Cæsareo Schönbrunnensi, quocum semina utraque communicaveram. Nec itaque potui vivum florentem utrumque comparare. Apud Sloaneum dicitur Caribæus primo anno non florere; Tranquebaricus autem florut. Qui florentem utramque plantam videre poterit, certius judicabit. Interea Tranquebarensis iconem exhibeo; cum figura vexilli, calycis, alæ, carinæ, staminum, pistilli, seminis, & fructus. Descriptione supersedeo magis ampla, quum nil offerat diversum.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA.

EUONYMUS ATROPURPUREUS.

Ex sep[illegible] Americæ [illegible] hæc arbuscula, altitudinis humanæ, sub dio læte vegetat, Junio mense flores copiosos produxit jam per plures annos, fructum vero nullum. Cortex trunci & ramorum senorum est cinereus, æqualis, nec tuberculatus. Rami sunt teretes, glabri, & foliis in extremitatibus compressi. Folia sunt ex oblongo lanceolata, in acumen attenuata, utrinque glabra, dorso venosa, opposita, tenuissime serrulata cum margine purpureo, petiolis innixa teretibus & purpureis. Pedunculi communes tenues, rameis, biflori aut quadriflori; proprii rubentes. Flores omnes semper sunt tetrandri. Petala quatuor subrotunda & atropurpurea. Calycis ferme concoloris laciniæ subrotundæ. Germen etiam est concolor. Styli viridant. Antheræ flavent.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA PRIMA.

PÆDEROTA BONAROTA. *Linn. syst. pag.* 59.

Bonarota chamædryfolia *Scop. carn.* 1 *pag.* 23. *var.* 5

Bonarota montana, Italica, chamædryos folio, spica lutea. *Mich. gen. pag.* 19

Ex Idr[illegible] [illegible] Hortum transmigravit una cum aliis Carniolæ rarissimis plantis opera viri eruditi, Balthazaris Hacquet, scientiæ naturalis cultoris egregii. Tota inodora est. Sapor radicis subadstringens, paucus & ingratus; caulium foliorumque vix ullus. Radix fibrosa albida & perennis multos emittit caules, spithamam vel pedem ad summum altos, teretes, villosiusculos, simplicissimos, erectos & debiles. Folia vestiuntur oppositis, sæpe etiam alternis, interdum ternis, idque in eadem planta; infimis tamen nunquam alternantibus, atque his semper ratione reliquorum brevissimis. Cæterum lanceolata sunt aut ovata, acuta, argute serrata, levissime villosa, breviter petiolata aut subsessilia. Racemus densus & nutans caulem terminat, pollicem unum alterumve longus. Flores brevissime pedunculatos singulos bractea linearis calyce paulo longior suffulcit. Perianthii persistentis foliola quinque linearia modo inter se longitudine conveniunt, modo differunt, post corollæ lapsum conniventia, antea patula. Petalum sulphureum & calyce duplo longius ex tubo subcylindrico in limbum bilabiatum abit ere-

 ctum-

ctumque; labio superiore integerrimo & latiori; inferiori semitrifido; laciniis lanceolatis, planis & longitudine æqualibus. Fundo corollæ ad latus labii superioris filamentum utrinque unicum innascitur, petalo brevius, album, & antheram gestans oblongam flavamque. Ex germine ovato stylus egreditur filiformis, corollam exsuperans, persistens, & stigmate terminatus obtuso fuscoque. Capsula ovata, acuta, calycem vix superans, bilocularis, longitudinali utrinque sulco exarata, fusca, continet semina plura rufa & exigua. In ipso autem illo sulco maturitate contracta secedit in binas valvulas apice bifidas patulasque, sæpe totidem distinctas capsulas mentientes. Floret Majo & Junio.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SECUNDA.

BETULA PUMILA. *Linn. syst. pag.* 621. *mant.* 124.

Arbuscula quadripedalis sub dio apud nos crescit, florere incipit sub finem Aprilis, & Octobri fert fructus maturos. A Betula nana Linnæi omnino est distincta, imprimis propter ramos villo brevi & cinereo densissime obsitos, tum ob folia magis longa quam lata, quorum in nana latitudo excedit ut plurimum longitudinem, vel certe æquat. Cortex nigricat. Folia obverse ovata obtusaque brevi petiolo innitunturque, dorso vix manifeste pubescunt, dilute virent cum serraturis in folii facie saturatius virentibus. Ex cicatricibus foliorum anni præcedentis egrediuntur juli masculi solitarii, sessiles, erecti, cylindracei & duas tresve lineas longi. Squamæ floriferæ, ovatæ concavæ, pallentes cum extremitatibus fuscis & ciliatis, patentes, & plus minus duodecim, rachin juli imbricatim circumsident. Ante singulas filamenta exeunt tria, parva, longitudine ipsius squamulæ, apice bifurcato binas gerentia antheras ovatas, compressas, flavescentes, & ipsis tudymas. Nec quidquam, etiam optima lente usus, præter squamas dictas staminaque detegere in hisce julis valui, ut iraque amentum masculinum ad carpinos pertineat. Amenti basin squamæ paucæ fuscæ suffulciunt. Juli fæminei sunt in ramulorum noviter emergentium terminare solent, solitarii, erecti, densi, subovati aut magis cylindracei, virentes, breviter pedunculati, masculis paulo longiores multoque crassiores. Componuntur ex squamis numerosis, sine certo ordine dense imbricatis, ex lato cordatis, acutis, subciliatis, semitrilobis, erectis cum apice patulo. Quælibet squama in sinu continet germina tria, orbicularia, compresso-plana, virentia, aucta margine palente tenui, squamula ipsa haud multo minora, terniumque ante duo reliqua positum; singula coronata stylis duobus, subulatis, pallidis, simplicibus, squamula fere duplo longioribus, & persistentibus. Julus maturus ad proximam usque æstatem in arbuscula perstat, semipollicaris, teres, squamularum lobo medio protuberante inæqualis & velut exasperatus. Semina fusca figuram retinent germinis, circiter nonaginta in quolibet julo. Valde itaque discrepat fructificatio a genere Betulæ a Linnæo dato. Fructus maturus, squamula & semen ad latus exhibentur.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA TERTIA.

RIBES CYNOSBATI. *Linn. syst. pag.* 184.

Frutex humanæ altitudinis, facie congenerum, sub dio crescit, ex Canada ortus. Ramuli glabri & ex fusco nigricantes muniuntur infra ramulorum originem aculeo subulato, patente, fusco, rigido, recto & pungente. Folia fere sunt, uti in Ribes nigro, sed minora & petiolis hirsutioribus. Pedunculi tenues rarisque pilis adspersi nutant, & unciam unam alteramve longi gerunt flores tres, quatuor, etiam unicum. Pedunculi

pro-

proprii semipollicares brevem ad basin stipulam habent. Calycis pallide virentis tubus semiovatus inflatus & amplus in lacinias quinque desinit oblongas, obtusas, fere duplo breviores, cum margine purpureo varescentes, patentissimas, tandemque plane reflexas. Petala quinque plana, subrotunda, parva & candida eriguntur, inserta margini tubi calycini. Filamenta alba antheras ferunt sulphureas. Stylus subulatus, crassus, longitudine corollæ, ac simplex terminatur stigmate capitato & bindo. Germen hispidum transit in baccam tenuiter aculeatam, cæterum similem Ribes grossulariæ. Florere incipit sub finem Aprilis, & baccæ Julio maturescunt.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA QUARTA.

DOLICHOS BENGALENSIS.

Radix fibrosa in cultario caulem producit solaceum, perennem, tertium nunc agentem ætatis annum pollicis crassitie, teretem, pilis carentem quidem, sed (uti tota quoque planta) ad tactum asperiusculam, volubilem, altissime scandentem, lentum, obscure virentem, ramos emittentem pluramos, plerosque hyeme marcescentes. Folia sunt ex subrotundo ovata, desinentia in acumen breve secata terminatum; laceratum lobo interiore angustiore. Caulina duplo majora sunt, quam innascentia depicto ramulo. Petiolus, dorso teretes, antice sulco inscribuntur. Stipulæ ad petiolos sunt lanceolatæ, integræ & acutæ, ad foliola oblongæ vel lineares. Pedunculi racemosi, quatuor vel plures uncias longi, & teretes, locant ad intervalla flores brevissime pedunculatos & aggregatos numero incerto haud mutos, leviter odoratos, totos, excepto pallente cum virore calyce, niveos. Bracteæ duæ oblongæ & concavæ adstant calyci campanulato, cujus lacinia intima longior est. Calli in vexillo admodum eminent, & producuntur, interque hos arcte comprehenduntur alæ & carina. Legumen oblongum, acuminatum, compressum, primo viride; ad maturitatem dum properat, pallens, & suturam habens utramque, præcipue interiorem, crispatam & hinc scabram; maturum volumine multo minus cum marginibus sæpe undulatis & suturarum crispatione magis obsoleta. Semina sunt pauca, rotundato-oblonga, compressa, fusca cum paucis punctis saturationibus, hilo donata protuberante longo & niveo. Primo a satione anno jam duodecimpedalis non floruit; subsequis a Junio ad Septembrim, & semina matura dedit Augusto. Bengalensem appellavi, quia sub titulo Cimes de Bengale ex Indiis transmissa semina illustrissimus Lemonnier mecum communicavit cum aliis pluribus seminibus Indicis.

Inter hæc erant etiam, quibus inscribebatur titulus Dolichi Lablab, qui Antake in Madagascaria vocatur. Sata germinarunt in caldario, & plantam produxerunt adeo præcedenti similem, etiam perennantem, ut distingui ab invicem nullo potuerint modo. Semina ante sationem, & quæ plantæ ferebant nova, constanter diversa discrimen absolvebant. Hunc itaque Dolichum, quem specie diversum a Bengalensi arbitror, (nam cur seminis constans diversitas non esset æque magni momenti in distinguendis speciebus, quam alius cujuscunque partis?) nominare possemus Madagascaricum; qui semina habet ovata, vix compressa, ferruginea, hilo albo simili instructa. Hujus specimen una cum legumine maturo & maturitati proximo sistitur depictum ad latus. In altero latere semen est Dolichi bengalensis.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA QUINTA.

PLANTAGO ALPINA. *Linn. syst. pag.* 122.
Plantago foliis linearibus, planis, spica cylindrica. *Haller hist. helv. num.* 657
Holosteum hirsutum nigricans. *Bauh. pin.* 190.

Radix perennis, longa, fibris aucta, albicans, in ipsa prima annii, postea evadens crassior, etiam multiceps, folia promit plurima, ensiformia vel linearia, acuta, integerrima vel raris denticulis notata, plana, dorso nervosa, nuda, glaberrima vel pilosa, præque imprimis in margine, semipedalia vel paulo altiora. Scapi teretes & vix compressi pilis toti vestiuntur lanuginosis albidisque. Spica florens ovata & semipodicaris, fructigera magis oblonga & producta, etiam, dum de radice exit, jam erigitur. Calycis profundissime quadripartiti foliola sunt membranacea & margine fusca. Bractea concava, lata, in medio virens, lateribus membranaceis ac nigricantibus, exit in processum longum lanceolatum & virentem. Coroliæ tubus cum virore pallet, laciniæ vero etiam nigræ sunt. Stylus est valde hirsutus. Antheræ flavent. Floret Junio & sequentibus. Spica etiam deprimitur fructescens; & aucta, cum bractea, tum flos calyce dempto,

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SEXTA.

PLANTAGO LOEFLINGII. *Linn. syst. pag.* 123. *spec. pl. pag.* 166. *Læfl. it. pag.* 176.

Primo vere sub dio sata, floret Junio & Julio, hoc mense & Augusto semina perficit, & Septembri jam una cum radice annua perit, ut vel hac sola nota a præcedente alpina annisque radice perenni donatis distingui possit. Folia sunt plurima, semipedalia, linearia, acuminata, pubescentia aut glabra, integerrima vel raris maximisque denticulis munita. Scapi teretes, tenues, subpubescentes vel glabri, longitudinem fere habent foliorum, & spicam sustinent semper erectam, florentem subovatam, fructescentem oblongam & æqualem. Bractea concava, glabra, obtusa, dorsoque protuberans & viridis, in latera excurrit membranacea pallida. Laciniæ coroliæ patent aut fuscescunt. Filamenta brevia petalum vix superant, unde in spica florente, cujusmodi sunt depictæ duæ minores, antheræ vix apparent. Tres alæ spicæ jam deflorruerunt; ultima maxima fructum gestat maturum. Porro stylus est villosus & pauxillo longior. Semina fusca nitent, oblonga, hinc convexa, illinc longitudinaliter concava, continentur autem solitaria in capsulæ bilocularis quolibet loculamento. Dissepimentum ex lanceolato acuminatum & nigricans, liberum undique cum hæreat in capsula matura, decidatque hinc facillime de capsula discedente, capsulam apparenter uniocularem relinquit.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA SEPTIMA.

PHLOX MACULATA. *Linn. syst. pag.* 155.

Radix perennis caules producit plures, sesquipedales, teretes, simplices, scaprosos, erectos, ex viridi & purpureo punctatim variegatos, terminatos racemo denso semipedali & elegante, qui componitur ex pedunculis axillaribus multifloris. Folia totum caulem ornant ad summitatem usque, anguste lanceolata, in acumen sensim attenuata, utrinque glabra, margine scabriuscula, sessilia, adscendendo longitudine decrescentia, summa in racemo alterna, reliqua omnia opposita. Flores suaveolentes calycem habent

pea-

pentaphyllum, vix angulatum, glabrum, superne purpurascentem, petalo duplo breviorem; foliolis ex lineari lanceolatis, acutis, erectis, in tubum conniventibus, ad oras membranaceis, uno alterove pari interdum subcoalitis. Corollæ limbus ex purpureo eleganter rubet; tubus est violaceus. Filamenta brevissima ad diversam altitudinem inseruntur tubo corollæ, duo ad ortum limbi, paulo infra hæc tertium, bina reliqua in tubi medietate.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA OCTAVA.

CAUCALIS LATIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 205.

Caucalis involucris & involucellis pentaphyllis, foliis pinnatis. *Gerard. prov. pag.* 237.

Caucalis arvensis echinata latifolia. *Garid.* 90. t. 22. *Bauh. pin.* 152.

Lappula canaria latifolia, sive caucalis. *Bauh. hist.* 3. *part.* 2. *pag.* 80.

Semina prima vere sata, aut sol. aut mense Aprili, germinant tandem proximo vere sub dio; in hyberniculo autem reposita, etiam media hyeme. Floret a Majo ad Julium, quando post seminum maturationem perit tota. Radix itaque annua, alba & fibrosa caulem emittit solitarium, erectum, teretem, scabrum, ut reliquæ partes plantæ, in ramulos paucos divisum, in cultis bipedalem, sylvestrem etiam sesquipedalem, & sic valde variantem. Rami ultimi, pedunculi & radii sunt angulato-striati. Rami & truncus dum sicci interdum fundunt succum dilute lactescentem, saporis amaricantis subacris & valde [illegible]. Folia pinnata ex basi amplexicaulibus & lateribus membranacea abeunt in costam subcylindricam. Pinnæ sunt oblongæ, profunde serratæ, quandoque pinnatifide incisæ, obtusæ, oppositæ, utrinque quatuor vel quinque cum terminante impare. Harum infimæ sternum supra vaginam e costa exeunt, magis remotæ a proximis. Superiorum paginæ ad vicinas usque pinnas per costam decurrunt. Involucri foliola sunt lanceolata, acuminata, admodum concava, persistentia, margine aucta membranaceo albicante; sub umbella universali sequentia numerum radiorum, sub particulari numerum florum exteriorum. Radii autem numero variant, in eadem planta a duobus ad senos. Nec major est constantia in floscculis exterioribus, quos a quatuor numeravi ad decem. Quæ vero habeo specimina sicca sylvestria ex Galloprovincia, in eadem umbella radios offerunt ternos plerumque, parcius quaternos. Atque ita comparatum erat cum plantis illis, quæ de seminibus casu abjectis circa horti muros in ruderatis sponte provenerunt. Et illæ & hæ flores in ambitu umbellulæ ferebant quinos ut plurimum. Sylvestris ex ruderatis nostris planta depicta sistitur. Flosculi peripheriæ sunt feriles & completi. Centrales, qui pauci adsunt, interdum nulli, abortant omnes, utpote germine destituti. Corolla utrisque alba est simpliciter, aut cum multa rubedine suffusa. Petala sunt fere subrotunda, propter apicem valde incurvatum antrorsum cordiformia. Solum excipitur corollarum exteriorum petalum extimum, quod, reliquis multo majus, planum est, semibilobum cum lobis rotundatis. Perianthium proprium est admodum conspicuum. Antheræ pallent. Germen fertilibus est maximum, ovatum, compressum, falcatum, undique hispidum setis purpureis. Styli gemini, ex vertice germinis semibifido producti, patent. Stigmata sunt simplicia & obtusa. Semina ex oblongo ovata, setis fulcis exarata, setisque rigidis hispida, fuscescunt. Fructus integer in naturali magnitudine, & flos centralis leviter auctus sistuntur ad latus.

TABULA CENTESIMA VIGESIMA NONA.

SESELI MULTICAULE.

Radix perennis sub dio sata primo anno sola produxit folia radicalia, subsequis caulem, flores Augusto, semina matura Septembri & Octobri. Albida in plures ramos dispersatur, calamum crassos, inodoros, sapore acri & dauci quiddam habente, a relictis fo-

liorum nervis parum capillata. Ad exortum caulis principis, ex alis etiam infimorum foliorum, rami sive caules laterales egrediuntur. Rami ea ratione patent, ut subdichotomi videantur. Sunt autem, uti ipse caulis, teretes, striati, virides, medulla alba farcti, ad egressum foliorum in acutum marginem elevati. Folia ex petiolo membranaceo & amplexicauli enascuntur, radicalia & inferiora ter pinnata, subsequa minus divisa, summa ternata. Costa est teres, striata & antice sulcata. Foliola sunt sublinearia, acuta, plana, virentia, trita subodorata, in solis superioribus successive, tandem aliquoties longiora. Inferiorum foliorum, in quibus costæ laterales ad egressum augentur foliolis pinnatis, circumscriptio aut subovata est, aut foliis vix sensibiliter decrescentibus magis oblonga. Umbellæ universales convexæ, & omni involucro sæpe destitutæ, vel paucifolio illo instructæ, semper eriguntur, compositæ ex radiis ab octo ad viginti. Umbellulæ particulares hemisphæricæ, vade densæ, & parvæ, involucro gaudent polyphyllo, & flosculos gerunt fertiles omnes, albos, petalis donatos æqualibus, ovatis, acuminatis, cum apice inflexo, vix tamen cordatis. Antheræ pallent. Germinum apex post petalorum lapsum una cum stylis purpurascit. Fructus ovatus & parvus pallide fuscescit, bipartibilis in semina hinc plana, illinc haud profunde quadrisulcata cum angulis quinque obtusis. Tota planta glaberrima est, bipedalis aut paulo altior. Tabula repræsentat totum caulem principem cum ramis suis, eumque radice & folio unico radicali, in tres partes discissum. Adstant ad latus in nativa magnitudine radius cum involucro partiali & semen utrinque conspectum; microscopio autem auctus flos, tum semen, ejusdemque facies transversa. Amicissimus Spicumannus semina misit.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA.

ANGELICA VERTICILLARIS. *Linn. mant. pag.* 217. & 561.
Angelica alpina ad nodos floridæ. *Tournef. inst.* 313.

Planta elegans, tota glabra, a quinque ad septem pedes alta, & odore aliquo Angelicæ sylvestris prædita, ex semine sub dio sata, primo anno germinavit, sed tertio demum floruit Junio & Julio, postque peractam Augusto fructificationem jam Septembri omnis perit tota, nec ulla perennavit. Radix ramosa, digitum vel pollicem crassa, teres, rugis circularibus tota rugosa, pallida, pedem longa, fibrillis etiam donata tenuioribus, discissa lac niveum fundit, sapore gaudet in principio ingrato nec forti, sed post breve interventum satis acri & pungente. Caulis teres, æqualis, inanis, rore glaucescente obductus, diametri uncialis vel tenuior, erigitur. Folia radicalia sunt amplissima, bipedalia vel longiora, circumscriptione triangularia; costa intus fibrosa & farcta, ex membrana ampla & striata orta, nec sulcata, lateralibus costis inferioribus bipinnatis, superioribus sensim in divisione decrescentibus. Foliola sunt ovata, acuta, serrata, cum denticulis plerumque retrorsum detrusis, facie nitida & saturate virentia, integra biloba trilobave, ab una ad quatuor uncias longa, sessilia omnia excepto terminali petiolato. Caulis extremitas desinit in umbellam, infra quam ad aliquam distantiam circiter quinque rami nudi aut foliolo minuto instructi, sive pedunculi verticillatim exoriuntur, & ipsi propria umbella onusti. Infra hos eodem iterum modo alii prodeunt similes; idque ita bis ter vel quater etiam contingit. Tandem egrediuntur ex foliorum caulinorum alis oppositi rami, infra hos alternantes alii, omnes quoque verticillatim ramosi ipsi. Dum in umbellis hisce germina mole increscunt, tunc ad basin earundem unus adhuc alterve pedunculus exoritur, atque elongatur umbellifer, ut sic priores proliferæ dici mereantur. Et proles aliquæ primariæ sunt, ipsæ etiam suam aliquam umbellulam proferentes. Nec minus foliola ramea tandem ex axillis umbellam addunt. Atque hæc quidem omnia in individuis majoribus locum habent, singularemque & elegantem plantæ conciliant habitum. In tabula dum-

dumtaxat ramus infimus proponitur. Retro delineatum est folii radicalis pars aliqua, non colorati, ut evitaretur confusio. Adsunt insuper semen utrinque conspectum in volumine nativo, ejusdem ad duplum aucti transversa dissectio, & flos auctus aliquoties. Umbellæ universales aut nudæ sunt, aut subjectum habent foliolum unum alterumve lanceolatum, idque integerrimum aut serratum; cæterum planæ, inæquales, nec densæ. Partialibus umbellis, etiam planis, pro involucro est foliolum setaceum unicum, sæpe desideratum. Radii exteriores multo longiores sunt interioribus. Petala cum flavedine virentia, parva & integra apicem inflectunt antrorsum; vix tamen cordata. Antheræ flavescunt. Umbellæ laterales fuerunt plures, quæ nulla vel perpauca semina tulerunt. Sed in aliis etiam floribus fructigeris, rite expansis, germen nullum detegere potui, & vix etiam stylos, quum illud demum, corolla staminibusque deciduis, mole auctum, hi elongati, in conspectum prodibant. Fructus compresso-planus dehiscit in duo semina ex oblongo orbiculata, basi emarginata; quorum nuclei hinc plani, inde tantisper elevati fusci striisque tribus parum extantibus & pallidioribus notati, excurrunt in marginem membranaceum amplam tenuem & rufescentem; sapore prædito & odore plantæ. Fructus etiam observantur non raro triquetri, seminibus constantes ternis. Umbella in fructu patula est.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA PRIMA.

PIMPINELLA PEREGRINA. *Linn. syst. pag.* 217.
Pimpinella umbellis ante florescentiam cernuis. *Ger. prov. pag.* 256.
Seminum peregrinum primum *Chys. hist. CXCIX.*
Apium peregrinum, foliis subrotundis. *Bauh. pin.* 153.
Daucus tertius Dioscoridis. *Col. ecphr.* 1. *pag.* 108. t. 109.

Radix fibrosa, longa, fibris aucta, & saporis acerrimi, quam in sylvestri stirpe annuam clarissimus Gerardus dicit, in horto nostro constanter sola folia radicalia primo anno profert, humi strata, & numerosa, primo prodeuntia simplicia, proxima ternata, subsequa alia pinnata ex duobus plerumque vel tribus paribus cum terminante impari. Foliola sunt subrotunda, crenata, basi cordata, obtusa, glabra vel leviter pubescentia, breviterque petiolata. Caulis solitarius altero anno exsurgit bipedalis, teres, tenuiter striatus, subvillosus, superne ramosus, foliis ornatus paucis, inferioribus radicalium magis minusve similibus, superioribus in laciniis lanceolatas & acuminatas varie divisis. Umbellæ planæ ante florescentiam quam maxime nutant, florentes demum erigunturur. Umbellulæ sunt convexæ. Carent ambæ involucro. Radii sunt tenues. Floscuh omnes fertiles, & ferme æquales sunt, dum extimorum petala extima pauxillo sunt majora. Petala alba dorsoque hirsuta apicem gerunt inflexum, hinc cordata. Filamenta & styli albent. Antheræ pallent. Germen est subrotundum & hirsutum. Fructus exiguus & ex ovato subrotundus coronatur stylis patentibus, in bina separabilis semina fusca, hinc plana, illinc gibba, striata setisque numerosis pallidis hispida; inodora, & saporem in principio vix habentia ullum, brevi autem acerrima inque faucibus sensum ardoris non mediocrem excitantia. Floret Julio. Semina perficit Augusto. In Italia, Hispania & Galloprovincia sponte crescit. Sistuntur in tabula planta florifera integra, in qua folia radicalia solent deesse; hinc etiam ad latus planta primi anni. Tum fructus naturalis, idemque auctus multoties. Sic etiam auctus flos & pistillum.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SECUNDA.

ANETHUM SEGETUM. *Linn. mant.* 219
Anethum sylvestre minus. *Bauh. pin.* 147. *prodr.* 76.
Fœniculum lusitanicum minus annuum, anetii odore. *Tourn. inst.* 312.

Tota planta glaucescens est, odore gravi & sapore acri gravescentis. Ex radice tenui, fibrosa, albida & annua caulis elevatur spithamæus vel pedalis, lineam crassus, erectus, teres, striatus, ex glauco virens, & ramosus. Folia sunt bis vel ter pinnata, petioli communis basi membranacea; pinnulis linearibus, acutis, & planis. Involucro sub umbellis caret omni. Umbellæ universales planiusculæ & raro construuntur ex umbellulis particularibus plus minus senis, quarum flos centralis masculus abortat, aut jam ante explicationem marcescit & perit. Corolla & antheræ sunt luteæ. Petala paulo ante plenam expansionem discum orbicularem concavum efficiunt, quod alis quibusdam umbelliferis etiam est solenne; postea oblonga & patentia cum apice introrsum flexo. Fructus ex oblongo ovalis ægre discedit in bina semina. Hæc ejusdem figuræ, hinc tamen plana, illinc convexa & striis tribus, rarius quatuor, etiam solis duabus notata, margine cinguntur membranaceo exiguo ac sæpe vix observando, fusca sunt, & sapore gaudent acri aromatico, in quo quiddam de anisio animadvertere mihi sum visus; altero semine ut plurimum crassiore. Floret Julio sub dio, semina dans Augusto. Fructus nativo in statu, atque idem auctus integer cum discissione transversa, itidemque auctus flos, exhibentur in margine.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA TERTIA.

SIUM SICULUM. *Linn. syst. pag.* 211.
Myrrhis foliis pastinacæ læte virentibus. *Tourn. cor.* 22.
Daucus, pastinacæ folio, siculus. *Zan. rar. pag.* 171. *tab.* 128.

Tota planta amara est. Radix albida, sesquipollicem diametro æquans, sapore parum excitante prædita, odoris vix ullius, in ramos dividitur in terram descendentes plures, pedales, teretes, calamum digitumque crassos; inde multiceps caules etiam plures per totam æstatem emittit, teretes, non manes, tenuissime striatos, sesquipedales aut altiores, virides, flexuosos aut magis erectos, ramososque. Folia valde variant etiam in eadem planta, acute serrata, petiolata & crassiusculæ. Radicalia sunt aut simplicissima & ovata; aut ternata; aut pinnata; aut demum bipinnata. Sic etiam, simplicissimum si excipitur, se habent folia caulina, in quibus superioribus pinnæ sunt lanceolatæ, ac magis incisæ. Petioli sunt basi membranacei & amplexantes. Umbellæ raræ & planæ, ex radius circiter decem constructæ, ante florescentiam nutant, postea erigunturur. Universalibus involucrum supponitur ex foliolis circiter octonis, linearibus, integerrimis, patentissimis, virentibus, & umbella duplo brevioribus, involucrum partiale simile est, sed externe longius. Flores omnes fertiles petala habent lutea, apice introrsum inflexa, vix cordata, ante explicationem fere tota involuta. Antheræ sunt luteæ. Germen oblongum, teres & striatum viret. Styli breves flavescunt. Fructus immaturus est oblongus, teres, obsolete sulcatus, parum sæpe incurvatus, tres quatuorve lineas longus; quem maturum non vidi. Scilicet quod in horto Bononiensi se observasse, Zanonius atque Montius jam adnotarunt, ferme idem contigit in horto nostro; dum per decem annos ibidem sub dio culta perennet, floreatque integram æstatem ad autumni usque primum gelu, tamen fructum nullum ad perfectionem perduxit, nimis tempestive marcescentem.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA QUARTA.

SISON SEGETUM. *Linn. syst. pag.* 212. *Huds. angl. pag.* 104. *Gerard. prov.* 248

Sium foliis pinnatis, umbellis cernuis. *Hall. hist. helv. num.* 780.

Sium terestre, umbellis rarioribus. *Morin. hist.* 3 *p.* 283. *s.* 9. *t.* 5. *f.* 6.

Sponte crescit in Arabiae arvis & ad sepes solo humido aut uliginoso, interque segetes, tum etiam in Galloprovincia, utrobique Hudsono & Gerardo asserentibus biennis, in horto autem nostro semper annua planta, primo vere dum seritur sub dio, florens Augusto & semina ferens matura Octobri. Morisonus annuam dicit, subjungens, folia per totam hyemem vigere. Tota planta glaberrima est. Radix albida, fusiformis, semipedalis, aucta fibrillis plurimis, saporem habet aliquem odoremque api graveolentis, sicuti tota planta. Folia radicalia æque ac caulina sunt pinnata; costa terete, dorso striata, antice canaliculata, in longioribus foliis semipedali, inferne nuda, superne instructa pinnularum oppositarum paribus a quinque ad duodecim cum impari terminante, summis gradatim minoribus, extimis sæpe confluentibus. Pinnæ sunt ovatæ, argute & cum brevissimis aristis serratæ, semipollicares vel paulo longiores, basi plerumque incisura profundiore appendiculatæ; in radicalibus primo prodeuntibus rotundiores minusque serratæ. Caules ex eadem radice enascuntur plures, centralis erectus & tripedalis, extimi fere horizontaliter protensi & parum adscendentes, patentissimi cum ramis virgatis tenuibus divaricatissimis & terram versus iterum inclinatis, foliis ornati angustioribus tandemque integerrimis simplicibus & stipulaceis, teretes, tenuissime striati, glaucescentes, multaque medulla alba repleti. Umbellæ in planta ramosissima numerosæ constant ex radiis ut plurimum ternis, rarius binis vel quaternis, longitudine valde inæqualibus, suffultis involucro triphyllo angusto acuto & concavo. Foliola similia, ac quina vel quaterna, constituunt involucrum partiale. Umbellulæ flores continent quinos vel pauciores, erectos, radiis insidentes valde etiam inæqualibus. Petala sunt albi fere ovata cum apicibus incurvatis, alba vel purpurascentia. Germen ovatum compressum & striatum glaucescit, in fructum increscens verticem adipiscitur purpureum. Antheræ purpurascunt. Styli sunt breves. Omnes flores fertiles. Fructus rotundato-subovatus & compressus in semina dehiscit fusca, leviter introrsum incurvata, nullo margine aucta, hinc plana cum duabus striis mediocriter elevatis, illinc convexa cum striis elevatis novem, quarum quinque alternæ magis protuberant; sapore prædita api cum aliqua acredine. Tabula exhibet plantam juvenem modo caulescentem, ut folia inferiora conspici possint, in florente plerumque jam emarcida & deperdita. Tum ramum aliquem principalem florentem. Florem auctum. Semen in naturali volumine, ejusdemque aucti & transversim discissi partem inferiorem antice spectatam.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA QUINTA.

SPILANTHES OLERACEA. *Linn. syst. pag.* 534.

Tota planta imprimis linguæ sensum ardoris valde pungentis. Radix fibrosa & albida caules plurimos dense emittit, basi procumbentes, atque hic sæpe radiculas in terram agentes, cæterum adscendentes, ramosos, diffusos, teretes, pedales, scabriusculos, herbaceos. Folia sunt ex subrotundo ovata, obtusiuscula, serrulata, glabra, petiolata, opposita. Pedunculi terminales, atque elongati, per ramos ex axillis oppositis summorum foliorum postea prodeuntes, in dichotomo caule positi videntur. Flos solitarius, conicus, in principio superne depressus, tandem apice magis attenuatus, vel etiam differmu-

miter desinens, odore caret omni. Calycis virentis & villosiusculi foliola plerumque obtusa subæqualia. Flosculi erecti flavent ex integro, corollæ incurvatæ limbo quinquefido vel quadrifido; & singuli paleæ oblongæ concavo-conniventi includuntur, sponte abscedenti una cum floribus seminibusve, ut receptaculum ex conico oblongum tunc remaneat nudum. Semen solitarium, oblongum, compressum, vix marginatum, sed marginis loco ciliis albidis adscendentibus munitum, quorum summi duo oppositi multo plerumque longiores semen biaristatum efficiunt, nigricans, paleæ seminclusum, eodemque duplo brevius. Ad latus exhibentur aucta palea sola, flosculus paleæ inclusus, idemque inde exemptus. Deinde semen. In naturali autem magnitudine semen interum & receptaculum.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SEXTA.

PHYSALIS VISCOSA. *Linn. syst. pag.* 172.
Physalis radice perenni, foliis cordatis obtusis. *Linn. hort. Cliff* 62.
Alkekengi bonariense repens, bacca turbinata viscosa. *Dill. elth. pag.* 11. *tab.* 10?

Tota planta fœtida, lanugine obsita, & scabriuscula est, nec tamen viscosa. Radix perennis in fibras crassas longasque dispescitur, saporis subamaricantis & valde ingrati. Caules plures, herbacei, obsolete angulati, basi ramosi, suberecti, debiles, foliosi, superne divaricate ramosi, & sesquipedales. Folia alternatim sita, in ramis sæpe gemina, habent ovata, repanda, basi haud cordata, petiolata, crassiuscula, cum aliquo pilorum velamento. Flores pedunculati & solitarii calycem habent campanulatum, haud pentagonum, sed angulis extantibus dumtaxat æqualem, corolla duplo breviorem. Petalum germinis receptaculo proprio innascitur, flavum totum & unicolor sine ullis maculis, subinfundibuliforme, limbo integro & tantum quinquedentato; tubo villis densissimis albidisque intus obsito & impleto. Antheræ sub phureæ longitudine filamenta ipsa fere æquant. Calyx in fructu ample ovatus, tumens, angulatus, striatus & flavus baccam comprehendit piriformem, luteam, viscidam, pulpa plenam dulci & seminibus ex subrotundo reniformibus flavescentibus. Semen, bacca, & calyx fructiger adpinguntur. In cultario floret totam æstatem, quam etiam fert sub dio.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA.

TRADESCANTIA CRISTATA. *Linn. syst. pag.* 233.
Ephemerum zeylanicum procumbens inflatum. *Herm. par.* 148. *Raj. hist.* 566.

Planta elegans, habitu Commelinæ communis, ex radice albida & ramosa caules plurimos gignit ramosos, diffusos, distortos, paniculatos, fragiles, teretes, parum compressos, virentes cum suffuso rubore, herbaceos, glabros cum linea longitudinali villosa, procumbentes, ex geniculis radiculas terræ immittentes. Folia ad genicula solitaria sunt ex oblongo lanceolata, crassa, ad tactum pinguia, acuta, utrinque nitida & lævia, margine subvillosa, plana, substriata; petiolis membranaceis, pallidis cum striis purpureis, & vaginantibus. Foliis terminalibus spathæ insident imbricatæ, simulque cristam aliquam referentes; singulæ diphyllæ, bifloræ, lunatæ, mucronatæ, planæ, ad folium retrorsum incurvatæ, conniventes, virentes cum purpura, omnino a quatuor ad octo, exteriores primo florentes majores. Ante explicationem flores spathis includuntur, explicati his superemiunt, in qualibet spatharum compage florens unicus, nec simul plures; explicantur autem matutino tempore, & post meridiem brevi marcescunt. Calycis villosi & corol-

rola duplo brevioris foliola lanceolata & acuta erigunturur. Petala cærulea ex unguibus longis simul tubum formantibus amplectuntur sensim in limbum suocordatum planum & patentissimum. Filamenta sex, cærulea, capillaria & erecta ornantur superne pilis concoloribus & eleganter articulatis. Germen superne est villosum. Stylus filiformis desinit in stigma clavatum, tubulosum, cæruleum, ore crenato fusco & aperto. Capsula ovata, obsolete trigona, ad verticem hirsuta, calyce brevior, trilocularis & trivalvis pallet, per transparentia semina rubescit. Hæc in singulo loculamento continentur gemina, angulata, primo rubentia, postea fusca. Floret in caldario ab Augusto ad Octobrem. Tota planta succo plena est mucoso & insipido. In nativo statu exhibentur etiam flos integer, petalum, capsula, semen & folium spathæ. Auctum stamen & pistillum. Illustrissimo Linnæo semina accepta refero.

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA.

GYPSOPHILA ADSCENDENS.

Ex radice perenni, alba, ramosa & lignescente caules egrediuntur plurimi, teretes, glabri, valde nodosi, foliosi, herbacei, basi purpurascentes & procumbentes, tandemque adscendentes. Rami numerosi terminantur in pedunculos tenues erectos & ramosos. Folia sunt ex lanceolato linearia, integerrima, glauca, pulposa, acutiuscula, sessilia & opposita. Floribus modoris petala sunt calyce duplo vel triplo longiora, ex carneo albida, obverse ovata, emarginata vel simpliciter obtusa, quina vel sena. Filamenta pallida longitudine corollam ferme æquantia antheras gerunt rubras. Styli tenues & subulati eadem longitudine gaudent. Floret sub dio æstate. Hyemem transigit in hybernaculo. Semina a celeberrimo Spielmanno accepi

TABULA CENTESIMA TRIGESIMA NONA.

HEMEROCALLIS FLAVA. *Linn. syst. pag.* 249.
Hemerocallis Lilio-Asphodelus. *Scop. carn.* 1. *p.* 253.
Hemerocallis radice tuberosa, corolus monopetalis. *Gmel. sib.* 1. *p.* 37.
Liliosphodelus luteo flore. *Chif. hist.* 137.
Lilium luteum, asphodeli radice. *Bauh. pin.* 80.
Liliosphodelus luteus liliflorus. *Lob. ic.* 92.
Asphodelus luteus. *Best. eyst. vern. O. 9. fol.* 5. *fig.* 3.

Radix perennis constat fibris longis, pluribus, ex fusco flavescentibus, quæ propris fibrillis augentur, & quas inter nonnullæ in tuber oblongum incrassantur. Folia sunt ensiformi-linearia, acuta, integerrima, glaberrima, & scapo breviora. Hic pedalis vel bipedalis, teres cum quadam angulata inæqualitate, calamum crassus, nudus, parum flexuosus, & erectus, superne in ramos & pedunculos paucos dividitur, qualiter divisione foliolo stipulaceo suffulta. Flores elegantes totique lutei suaveolentia polent non mediocri, tandem gravi & incommoda. Tubus corollæ cylindraceus est, & dimidio pollice longior. Limbi laciniæ interiores latiores. Capsula superne dehiscit tota, continens semina atra & nitida. Crescit sub dio, & floret Junio, semper præcocius Hemerocallide fulva. Sponte nascentem in Hungariæ uliginosis pratis Carolus Clusius detexit. Gmelino teste, ex foliis hujus plantæ, ætate exarefactis, autumni tempore collectis & super manus fricatis, Tartari detergunt id, quod facile abscedit, reliquum nectendis tegminibus, pannis solutibus supponi solitis, adhibent, quæ ex hac materia optima fiunt.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA.

SPIRÆA CHAMÆDRIFOLIA. *Linn. syst. pag.* 347.
Spiræa chamædryos folio. *Amm. ruth. pag.* 190. *mon.* 269.
Spiræa ulmifolia. *Scop. carn.* 1. *pag.* 349. *tab.* 22.

Radix plures profert caules fruticosos erectos & ramosos, juniores angulatos, seniores abscedente cortice exteriore teretes. Folia sunt ovata, acuta, alterna, glabra, breviter petiolata, juniore subtus levissime villosa, argute & inæquaiter ferrata, incisura una alterave sæpe profundiore, unum alterumve pollicem longa. Racemi subumbellati & densi flores gerunt modiceros, pedunculis uniforis, infimis subgeniculatis, insidentes. Calyces parvi, glabri, & ex flavo virentes laciniæ semiovatæ reflectuntur. Petala sunt nivea, subrotunda, obsolete emarginata & patentissima. Filamenta alba & numerosa limbo calycis innascuntur ante petala, antheris instructa ex fusco luteis. Ante filamenta etiam ex eodem limbo squamulæ eriguntur circiter decem, exiguæ, flavæ, subrotundæ & concavæ. Germina quinque in globum sæpe coalescunt, emittuntque totidem stylos albidos, apice incrassatos, obtusos, longitudine ferme staminum. Capsulæ quinque, parvæ, subovatæ, glabræ, polyspermæ, stylis persistentibus coronantur, nunc fuscis & velut capitatis. Frutex interdum humanæ altitudinis, cultus habitum non mutavit. Ex Itine[illegible] montibus ab expertissimo Hacquet transmissus fuit; quem clarissimus Scopoli [illegible] inam a Linnæi chamædrifolia [illegible] pretendit, eandem tamen cum hac [illegible] folia sua esse, mihi asserunt illustris Linnæus, ut itaque non semper folia ab uno exortu terna, quaterna vel quina, quanta suæ plantæ attribuit Ammannus, adesse debeant, nam nostra planta istiusmodi non habet.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA PRIMA.

MALVA LIMENSIS. *Linn. syst. pag.* 460. *amœn. acad.* 4. *p.* 325.

Planta annua, erecta, bi- vel tripedalis, caule ramisque teretibus, villosis, & ex fusco purpureis. Folia sunt quinquelobi, vel triloba, lobis extimis majoribus & longioribus, ferrata villosa, petiolata, venulis numerosis reticulata, & ad oras plus minus, sæpe vix notabiliter, fusca. Pedunculi foliis breviores & villosi axillis insident foliorum, extremitate gerentes flores pluscolos breviter pedicellatos inque capitulum congestos. Calycis hirsuti tria foliola exteriora sunt setacea. Interioris laciniæ sunt latissime ovatæ. Corolla cærulea est cum pauca suffusa purpura & calyce paulo longior. Antheræ saturate cærulescunt. Aculei fusci, compressique, notantur lineis vix elevatis. Semina sunt cochleato-reniformia, nigra, & glabra. Peruvium pro patria habet. Sub dio floretæ integram, & lætissime vegetat; sed flos rarissime expanditur. Idque solenne est pluribus Malvis calidiorum regionum, quæ, etiamsi clima nostrum optime ferant, flores tamen in caldario tantum rite expansos monstrant. Ad latus axillus nativus & auctus sistitur.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SECUNDA.

MALVA SHERARDIANA. *Linn. syst. pag.* 460. *spec. pl. pag.* 1675.
Malva humifusa minima. *Till. pis.* 108. *t.* 35. *f.* 2.
Malva cretica, minor, hirsuta. *Buxb. cent. app. pag.* 46. *fig.* 32. *Tourn. cor.* 2.

Provenit hæc planta in M[illegible] arenulis & [illegible] insula Creta. Apud nos æstatem f[illegible] d[illegible], hyemem transigit in hybernaculo, sempervirens & fruticulosa. Junio & Julio flores, semina largitur matura Augusto. Caules habet plerosque humi stratos, teretes, tomen-

mentosos, foliosos, brevibusque ramis auctos. Folia cælo faciem obvertunt omnia, petiolis tomentosis insident propriæ longitudinis, suntque orbiculata, basi cordata, crenata, obsolescissime septemlobata, rugosa, subtus tomentosa & pallide virentia, facie saturatius viridia magisque glabra, majora diametro unciali. Pedunculi uniflori, axillares, tomentosi & foliosi, instante florescentia sursum arcuantur folusque supereminent; flore clauso, versus terram detradantur, sic laturi fructus pendulos. Calycis foliola tria exteriora sunt setacea & brevissima. Petala sunt subrotunda cum exiguo acumine, concava & saturate carnea. Antheræ sunt sulphureæ. Arilli circiter decem, pallidi, subvillosi, & lateribus porosi, tumidiores facti, non coercentur amplius in disco communi calycis, unde aliqui extrorsum propellantur, & fructum reddunt inæqualem. Semina sunt fusca & glabra.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA TERTIA.

HELICTERES JAMAICENSIS. *Jacq. hist. amer. pag.* 235. *tab.* 179. *fig.* 99.
Helicteres Isora. *Linn. spec. pl. pag.* 1366. *num.* 1. *β.*
Helicteres villosa & fruticosa; foliis cordato-acuminatis serratis. *Broum. jam.* 1. *pag.* 330.
Helicteres arbor Indiæ occidentalis, fructu majore. *Pluk. alm.* 182. *t.* 245. *f.* 3.
Alcea [illegible] arbor, althææ folio, cujus fructus est styli apex acutus, quatuor seu quinque siliquis hirsutis, funis adinstar in spiram convolutis. *Sloan. hist. jam.* 1. *pag.* 22.

Ex seminibus in Jamaicæ sylvarum asperis locis haud procul a Kingston anno 1757 a me collectis, atque anno 1770 in caldario terræ mandatis, excreverunt tres arbusculæ, quæ alterum ætatis annum agentes, unum alterumve florem, nunc agentes tertium, jam quadripedales, dederunt eosdem ex omnibus ramis numerosos ab Augusto ad Novembrim usque, fructum maturum hucusque unicum mense Februario. Hujusmodi ramus mediocris cum parte trunci abscissa depictus sistitur. Habitu convenit cum congeneribus petaloideis a me jam descriptis. Ab Isora Horti Malabarici omnino mihi differre videtur ob plurima momenta, imprimis ob fructus non lateraliter, uti in Isora, pedunculo insertos. Rami juniores, pedunculi, calyces, & imprimis folia vestiuntur denso tomento, velutisci adinstar. Caules ramique teretes sunt. Folia petiolata, alterna, crassa, cordata, acuta, inæqualiter dentato-serrata, interdum subangulata, pallide & pulverulente virentia, in utroque latere muniuntur stipulis setaceis & tomentosis. Rami terminantur in pedunculos multifloros, ultra quos demum producuntur. Ad exortum vero pedunculorum una alterave glandula locatur orbicularis glabra & saturate virens. Calyx subcampanulatus, parum compressus, inæqualiter quinquedentatus, limbo in inferiore parte magis profunde fisso, interne pallide viret cum fundo angulace fuscescente. Petala quinque albida, oblonga, & obtusa, extra calycem reflectuntur; lateralia supra basin in unico latere, summum utrinque appendiculatum. Germen hirsutum valde & quinquesulcatum inidet pedunculo longissimo declinato & villoso, abiuque in stylum subulatum, tenuem, reflexum, subsulcatum, inferne intortum, germine duplo longius. Stigma est subquinquefidum. Ad sulcum germinis quemlibet foliolum exoritur paleæ, lanceolatum, petaliforme, acuminatum, planum, per stamina germini appressum, ut his ex integro demptis demum appareat. Filamenta decem crassa & erecta extra germinis foliola circa germen locantur, occultantia illud antherarum ope, quas gerunt transversas oblique, oblongas, luteas, longitudinaliter & transverse sulcatas. Fructus, ovatus vel oblongus, fuscus, & tomentosus componitur ex capsulis quinque spiraliter ad apices usque convolutis, unilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus, plurima semina oblonga & fu-

 sca

sca in unica continua serie continentibus. Totus fere calyx plenus est succo aqueo pellucido dulcissimo grato & melli proximo, qui moto ramo guttatim inde cadit. Hinc formicæ vix sunt abigendæ. In solo natali foliorum decocta cum oleo & sale pro clysmatibus adhiberi, instar foliorum malvæ, Sloaneus narrat. In tabula etiam ad latus sistuntur non aucta petala duo, calyx discissus, fructus integer, capsula una sejuncta, & semen. Aucta vero pistillum & stamen.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA QUARTA.

BUNIAS BALEARICA. *Linn. syst. pag.* 446. *mant.* 429.

A celeberrimo Linnæo jam datam descriptionem breviter repetam, ut comes ire pictæ stirpi queat. Ex radice fibrosa albicante & annua caulis attollitur unicus, pedalis, lævis, infra prima folia teres & atropurpureus, inde angulatus viridis & ramosissimus. Folia omnia sunt pinnata glabra & petiolata, inferiorum pinnis subovatis & obtusis; reliquorum lanceolatis & acutioribus; omnibus sinuatis. Pedunculi elongati racemose flores sustinent inodoros. Calyx cum flavedine virec. Petala flavent. Antheræ sunt latea. Germen subrotundum ac pilosum in stylum abit longum. Silicula subrotunda, subdidyma, spinis innocuis undique tecta, stylo subulato persistente instruitur, excurrente ex dissepimento. Semina sunt solitaria, globosa & fusca. Racemi fructigeri evadunt pedales. Cotyledonis maguæ & semibatoræ specimen figura adjecta haoet. Floret Junio semina perficiens Julio.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA QUINTA.

BUNIAS ÆGYPTIACA. *Linn. syst. vol* 3 *pag* 231.

Radix annua & albida caulem profert erectum, teretem, sesquipedalem, [illegible] parum hispidum, cæterum ferme glabrum, & ramosum. Folia radicalia & caulina sunt petiolata, glabra, nervo dorsali interdum pilis hispidiusculo; summa integra & acuta; inferiora pinnatifide sinuata & denticulata cum lacinia extima maiore & rotundata. Caulis & rami abeunt in racemos longos, pedicellis fructigeris appressis. Calyx flavescens valde patet. Petala & stamina sunt lutea. Silicula ex subrotundo cantiper quadrato & obtusa processibus inæqualibus & rugis exasperatur, matura pallide fuscescens, nec major, quam sunt depictæ virentes. In quolibet loculamento hæret semen singulare, oblongum, subluteum, hinc convexum, illinc longitudinali sulco exaratum. Flores Junio & Julio; semina fert Augusto.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SEXTA.

VICIA HYBRIDA. *Linn. syst. pag.* 488

Vicia sylvestris lutea, cum galea fusca. *Bauh. hist.* 2. *p.* 314. *Hall. gott p.* 29[illegible]

Ex radice fibrosa plures in ambitu egrediuntur caules, humi procumbentes, dimidio adsunt sustentacula, claviculis suis scandentes, striati, angulati, glabri, ramosi, pedales. Folia oblonga vel obverse ovata, retusa cum exigua secula terminante, hinc atque illinc pilosa, in costa communi locantur utrinque circiter sena. Stipulæ virides dorso

[illegible] macula fusca [illegible]gant[illegible], apice autem quandoque purpurascunt, inferiores ad basin extrorsum produc[illegible]tur, [illegible]n hastatæ aut dentatæ, superiores esse solent integerrimæ. Flores ex alis foliorum egreduntur solitarii, brevissime pedunculati, calyce & vexillo in dorso hirsutis. Corollæ cum aliquo virore suffuso luteæ vexillum emarginatum venis fuscis variegatur. Filamenta omnia in unum corpus sunt coalita. Legumen pendulum vel patens, oblongum, stylo parte superstite reflexa rostratum, magis minusve compressum, raris pilis obsitum, fuscescens & unciale semina includit pauca subglobosa, ex fusco & atro maculata. Floret Junio & Julio. Semina fert Augusto. Affinis est Viciæ pannonicæ in Floræ Austriacæ tabula trigesima quarta exhibitæ, a qua facillime discriminatur floribus solitariis, nec gemellis, tum macula in stipulis nonquam ulla. A Vicia lutea Linnæi diversam hanc hybridam docent vexilli hirsuties, foliorum omnium retusio, & caulis foliorumque pubescentia minor. Ut itaque hæ tres plantæ distinctissimæ inter se videantur.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA SEPTIMA.

VICIA BITHYNICA. *Linn. syst. pag.* 488. *sp. pl.* 1038.
Clymenum bithynicum, siliqua singulari, flore minore. *Boerh. lugd.* 2. *p.* 43.

R[illegible] rosa, dilute fusca & perennis, plures annuam[illegible] caules g[illegible]ntes, ope capreolorum suorum vicinis sese sustentantes, argute angulatos & glabros. Stipulæ folias adfident oblongæ, utrinque valde acuminatæ, argute & inæqualiter dentatæ, ac glabræ. Petioli triangulares & acute sulcati foliola gerunt utrinque duo, etiam unicum, lanceolata vel ovata, acuta & glabriuscula. Flores insident solitarii pedunculo alari & brevissimo. Calycis subpilosi & virentis dentes sunt acuminato-setacei, inferne ex angusto lanceolati. Vexillum coloris est primo violacei postea dilute purpurei, emarginatum fine acumine, lateribus vix reflexum, erectum, patens, & calyce duplo longius. Alæ initio pallent, dein flavent. Carina obtusa & vexillo duplo brevior pallet cum apice antico ex violaceo nigricante. Stylus brevis ad angulum rectum inflexus terminatur in stigma crassum capitatum & barbatum. Legumen oblongum, acuminatum, parum compressum, hirsutum & fuscescens semina pauca tenet globosa, glabra & ex fusco nigroque varia. Floret Julio. Semen fert Augusto.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA OCTAVA.

ONOPORDUM ILLYRICUM. *Linn. syst. pag.* 531. *Gouan. hort. monsp. pag.* 424. *Gerard. prov. pag.* 180.
Carduus quibusdam dictus Acanthium illyricum. *Bauh. hist.* 3. *part.* 1. *pag.* 55.
Spina tomentosa altera spinosior. *Bauh. pin.* 382.
Acanthium illyricum. *Lob. ic.* 1
Acanthum virens majoribus capitis spinis. *Barr. ic.* 501.

Primo anno folia radicalia, altero caulem profert quinquepedalem vel altiorem, jam a basi ramosum, habitu crescendi cum Onopordo Acantho congruens, post peractum fructum biennis interitura. Ab illo differt foliis multo angustioribus, caulem sæpe ipsum latitudine haud multum excedentibus, magis albicantibus, pinnatifide ad distantias divisis in lacinias longiores ovatas vel lanceolatas. Folia longiora sunt bipedalia, & inter lacinias, ipsas tripollicares, lata uncias tres. Radicalia primi anni multo magis sunt incana, lanceolata, & æqualius laciniata. Propter folia per caulem multo angustius decurrentia

tenuior etiam caulibus magisque elongata facies conciliatur. Calycis foliola sunt multo latiora, etiam reflexa exteriora omnia. Corollæ similes. Semina paulo majora. Flos caulem terminans interdum maximus est, ad diametrum illo, quem tabula habet, major.

TABULA CENTESIMA QUADRAGESIMA NONA.

ONOPORDUM ARABICUM. *Linn. syst. pag.* 531.
Carduus tomentosus, acanthi folio, altissimus lusitanicus. *Tourn. inst.* 441.
Carduus tomentosus, Acanthium dictus, arabicus *Pluk. alm.* 85. t. 154. f. 5.
Carduus, Acanthium dictus, altissimus lusitanicus. *Moris. hist.* 3. *pag.* 153.
Acanthium tomentosum, capite & semine majoribus, crispantibus caulium alis *Barr. icon.* 502.

Sub dio sata elegans hæc & biennis planta, altero ætatis anno caulem extollit sex vel plures pedes altum, erectum, angulatum, cavum, totum foliosum, & supra medium ex omnium foliorum alis emittentem ramos breves erectosque. Folia omnia sunt lanceolata, inferiora sesquipedem longa, & quinque vel sex uncias lata, superiora gradatim minora; omnia multum decurrentia, ad oras undulata dentata & spinis pungentibus validis armata, acuminata, venosa, utrinque tomento lanato incana, juniora fere nivea & tomenti arachnoidei densi ope cum caule connexa. Flores erecti in extremitate caulis & ramorum brevissime pedunculati vel fere sessiles locantur. Calycis foliola lanceolato-spinosa, inferne albicantia, superne purpurea, tomento arachnoideo u[illegible] nia erigantur, nulla reflectantur vel nunime, qua sola nota fac[illegible] ab Ono[illegible] & illyrico distinguitur. Corollulæ gamopetalæ & purpureæ similes sunt corollulis Onopordi Acanthii. Semina etiam similima. Floret Julio; & Augusti sub finem maturescunt semina.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA.

HYOSERIS LUCIDA. *Linn. syst. pag.* 525. *mant.* 108.
Dens leonis græcus, folius erysimi crassis & succulentis. *Tourn. cor.* 35.

Sata sub dio floret primo anno a Julio ad Octobrem, hyemem in hybernaculo [illegible], & proximis annis floret præcocius. Radix perennis, fusiformis, fibrillis aucta, albidaque evadit ætate multiceps. Folia sunt pinnatifida, petiolata, crassa, pulposa, insipida, pallide virentia, lucida, lobis suborotundis, vel subovatis, angulatis, dentatis, inæqualibus, horizontalibus, inferioribus minimis, extimo terminante maximo. Scapi erecti, aphylli, teretes, glabriusculi, folia longiores & sæpe purpurascentes florem unicum sustinent. Calyx communis angulatus & glaber viret, ad ipsam basin villosiusculus. Corollulæ sunt luteæ, exteriores subtus rubore perfusæ. Calycem proprium derexi nullum. Germina omnia coronantur pappo subplumoso, quædam exteriora pauco, alia oblonga, alia compressa utrinque margine membranaceo. Antheræ sunt petalis concolores. Semina glabra, germinibus similia, fuscescunt. Flos ante meridiem explicatur, una alterave post meridiem hora clauditur.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA PRIMA.

PORTULACA PANICULATA. *Jacq. hist. amer. pag.* 148.
Portulaca patens. *Linn. mant.* 242.

Tota portulaca arrima est, fruticosa, & sesquipedalis vel altior. Caulis suberectus, interne ex folorum axilis ramos profert obsolete tetragonos. Folia sunt obverse ovata [illegible] vel ovata, obtusa vel acuta, basi attenuata in petiolos breves, alterna vel subopposita, ad tactum pinguia, pulposa, integerrima, infima tripollicaria, superiora breviora. Panicula terminat caulem & ramos, sempedalis vel altior, erecta, composita ex racemis suboppositis, subdichotomis aut inordinatius divisis, tenuibus & patentibus. Flores sunt inodori, numerosi. Calycis diphylli foliola concava, rubra, subrotunda & patentissima. Petala quinque, calyce triplo majora, ovata, obtusa, concava, rubra, patentissima. Filamenta ad minus quatuordecim, patula, rubra, longitudine corollæ. Antheræ didymæ, luteæ. Stylus unicus, filiformis, erectus, rubescens, apice findicur in stigmata tria crassiora oblonga & saturatius colorata. Germen subtriquetro-globosum evadit capsula figuræ similis, mutida, duplicata, trivalvis; valvulis longitudinaliter dehiscentibus & decidais; exterioribus rigidis & ex flavo virentibus; interioribus figura & situ similibus, sed membranaceis tenuissimis pallidis subpellucidis & flaccidis. Semina atra nitent. Florent in calcario ab hora tertia pomeridiana ad sextam vel septimam. In rupibus maritimis Martinicæ & Dominigo vidi paniculam duplo altiorem multoque magis quam in depicta effusam, basi etiam caulem magis decumbentem.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SECUNDA.

SALVIA NAPIFOLIA.

A clarissimo Marsigho, Patavino Botanices Professore, ante plures jam annos sub dato titulo [illegible] plantæ missa fuerunt. Primo anno folia sola radicalia producit in orbem posita, terræque incumbentia, altero caules. Hyemem quidem dum tulit sub dio, proximo primo vere languet, & serius floret; sæpe tamen perit; unde calidioris climatis indigena videtur. Hyemem vero transigens in hybernaculo, posteaque terræ mandata, lætius vegetat & floret etiam; nunquam tamen salviæ verticillatæ, in hoc territorio ubique obviæ, magnitudinem acquirit. Interea cum eadem tantam similitudinem habet, ut vix dignoscatur, utque dia hæserim dubius, utrum recte distinguerem? In foliis & habitu distinctio nulla est. Calycis superne ex sanguineo purpurei divisio eadem. Corolla vero differt manifeste & constanter. Hæc saturate purpurea labium habet superius [illegible] gratum obtusum & patens; labii inferioris lacinias laterales subovatas patulas & longitudine labii superioris, hoc autem longiorem laciniam intermediam, quæ est oblonga & obtusiuscula, nec minimum in exortu suo in collum angustata.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA TERTIA.

SEDUM DASYPHYLLUM. *Linn. syst. pag.* 317.
Sedum foliis conicis, obtusis, glaucis, reticulatis; caule ramoso, viscido. *Hall. hist. helv. num.* 961.
Sedum minus septimum. *Clus. hist. LX.*
Sedum parvum, folio circinato, flore parvo. *Bauh. hist. 3. pag.* 691.

Sedum minus, folio circinato. *Bauh. pin.* 283. *Moris. hist.* 3. *pag.* 473. *s.* 12. *t.* 7. *f.* 35.
Aizoon dasyphyllum. *Dalech. hist.* 1133.

Hanc plantam, quæ hic depingitur, florentem ex Tyrolia accepi, ubi in rupibus muriisque sponte crescit, in Austria, quoad sciam, nedum inventa. Radix fibrosa & albida, (quam autores in solo natali annuam dicunt,) in hybernaculo nostro hybernans perennis, plures caulículos gignit tenues, teretes, bipedales aut longiores, basi procumbentes, hinc adscendentes, superne villosos & viscidos, foliosos, in cymam nudam terminatos, a duobus ad viginti & plures flores gerentes, aliquos etiam unifloros. Folia sunt ex subrotundo ovata, obtusa, pulposa, crassa, extus convexa, intus excavata, opposita, superficie inæqualia, bilinearia, virentia aut in ramis flavescentia cum suffusis punctis vel venis sanguineis, in ramis junioribus in acervos imbricatim collecta. Calyces viscidi virent. Petala ovata in aliis alba sunt, in aliis individuis ex rubro alboque varia. Antheræ nigrescunt. Character quidem Sedi est, una cum præsentibus minimis squamulis, quæ germinibus subjiciuntur; at vero calycis foliola perpetuo adsunt sex, totidemque petala & germina; stamina autem duodecim, quorum sex ante petala ponuntur, reliqua sex cum iisdem alternantur. Confundit itaque hæc plantula Sedi atque Sempervivi artificialia genera. Floret Julio.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUARTA.

LINUM MARITIMUM. *Linn. syst. pag.* 224.
Linum maritimum luteum. *Bauh. pin.* 214.
Linum luteum narbonense. *Bauh. pin.* 3. *pag.* 454.
Linum sylvestre. *Dod. pempt.* 4. *l.* 2. *c.* 25.

Radix albida & perennis caules annuatim plures herbaceos promit, teretes, suberectos, glaucos, superne ramosos, tandem pedales aut ulteriores. Folia totam caulem & ramos obsident ex ovali oblonga, acutiuscula, glauca, sessilia, erecta, integerrima, semipollicaria, caulina inferiora opposita, reliqua alterna. Pedunculi plerumque opponuntur foliolo erecti & uniflori. Calycis subrotundi foliola sunt ovata & acuta. Petala sunt lutea. Germen glabrum. Styli quinque flavi in stigmata abeunt hirsuta. Capsula subrotunda, acuta, calycis magnitudine, glabra, apice quinquedentata, superne quinquesulcata, decemlocularis & quinquevalvis semina melioris ovata, compressa, & ex flavo fuscescentia. Floret totam æstatem. Tabula exhibet plantam primi anni, & ad latus cum semine capsulam, eandemque auctam.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA QUINTA.

LOTUS ARABICUS. *Linn. syst. pag.* 504. *mant.* 104.

Arabica hæc planta per Forskalium Europæ innotuit, a celeberrimo Linnæo fuit tradita, icone nunc a me donata, cui brevem adjungam descriptionem. Primo vere sata sub dio floret a Julio ad Novembrem, semina perficere incipit Augusto, & hyeme in hybernaculo servatur. Ex radice fibrosa exeunt caules herbacei plures, prostrati, teretes, levissime pubescentes, semipedales aut sesquipedales. Foliola obverse ovata, obtusiuscula, brevissime petiolata, dorso subincana, facie dilute virentia & glabra, crassiuscula & terna insident petiolo communi compresso. Stipulæ foliolis similes sunt, sed minores.

Po-

Pedunculi teretes & subvillosi erguntur floresque sustinent duos tres quatuorve, rarius solitarios, bractea ad exortum pedunculorum propriorum suffultos, foliolum referente. Calycis virentis dentes sunt subulati. Corolla est carnea. Vexillum emarginatum strus notat [illegible] ruoris. [illegible] tum dæ includunt [illegible] integram. Legumen teres, policare [illegible] ore [illegible] ius, g[illegible], stylo veluti ipsa acuminatum, rectum, semina continet plura ad octo ad viginti parva, ex rotundo reniformia, compressiuscula, pallide fusca cum maculis nigris.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEXTA.

MALVA PERUVIANA. *Linn. syst. pag.* 460. *Willd. ill.* 20.

Planta annua [illegible] is est Malvæ hirsutæ in tabula centesima quadragesima exhibitæ, [illegible] ingredi [illegible] primo possit adspectu, vere tamen diversa. Caulis erectus, ramosus, tripedalis, teres, subvillosus, viridis, partimque purpurascens. Folia quinqueloba vel triloba, (nunquam in horti specimenibus septemlobata,) minus hirsuta quam in hirsuta, cæterum vix differentia. Neque in floribus aliud video discrimen, nisi quod sint ex purpureo rubri, nec [illegible]. Magis in hac pedunculus communis elongatur, spicæque formam habet, in qua secundum longitudinem flores insident pedicellati aut sessiles, versum versi pleriique, nec adeo capitati. Constantissimum discrimen est in arillis seminum, quæ in hac processibus denticulatis utrinque sunt exasperati. Semina ipsa sunt æquata. Floret sub dio totam æstatem.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA SEPTIMA.

ARUM SAGITTÆFOLIUM. *Linn. syst. pag.* 603. *Brown. hist. jam. num.* 8. *pag.* 332.

Arum minus foliis esculentum. *Plum. ic.* 35.

Arum minus esculentum, sagittariæ foliis viridi-nigricantibus. *Sloan. hist. jam.* 1. *pag.* 167. *t.* 149 *fig.* 2.

Arum minus, sagittariæ foliis. *Pluk. alm.* 51. *t.* 149. *f.* 2.

Radix crassa, intus alba, foris fusca, & bulbiformis, fibras crassas longasque in terram demittit; superne paulatim, foliis exterioribus marcescentibus & pereuntibus, in caulem attollitur teretem, duas tresve uncias æquantem diametro, semipedalem vel altiorem, externe rugosum fuscum scabrumque, intus carnosum flavescentem cum margine albido, qui, putrescente radice, dum terræ mandatur, de ambitu novas fibras radicales agit, soboleméque etiam gignit ex latere; ut sic planta hæc, dum novus semper enatus caulis vices radicis putrefactæ & deperditæ supplere possit, cultura evadat veluti immortalis. Folia longis petiolis innituntur glabra, sagittata, acuta, facie saturate virentia, dorso glauca, sesquipedem longa, pedemque fere lata. Dum florere incipit, basis convoluta foliorum separatur in duas partes per folium spathaceum pedale vel paulo longius, ensiforme, acuminatum, glabrum, antice concavum albidum partemque inferiorem petiolorum amplectens, dorso autem cum virore purpurascens & excurrens in margines geminos, quibus scapum complectitur. Ex ipso caule egreditur scapus, fere totus occultatus in folii convoluta vagina, de cujus tandem extremitate se elevat, florem sustinens singularem subodoratum & erectum. Spatha crassa, coriacea, semipedalis, nitida, utrinque ex flavo pallens, ex coarctato collo in bracteam latissime ovatam ac veluti cucullaformem expanditur. De fundo spadix prodit simplicissimus & pallidus; cujus basin tantisper incrassatam dense

obsident germina numerosa subrotunda & coronata stigmate a[illegible], concavo, angu[illegible] fu-scescentibus in ambitu excisu, & referto glutine plurimo. [illegible] hic ordo est corpuscu-lorum clavatorum, duplo longiorum pistillis, nec ade[illegible] [illegible] Reliquum spadicis par-tem ad verticem usque antheræ occupant crassæ, angulatæ, superficie planæ, interiores magis oblongæ minusque conjugatæ. Microscopio hæ spectatæ videntur constare filamen-tis connatis, quibus antheræ oblongæ in circumferentia adnascuntur. Fructum non tu-lit. Crescit in America torrida, ibidemque colitur passim, quum ejus folia cocta in olus cedant. Tota lac niveum læsa fundit. Ex minoribus foliis aliquod ad tat delineatum; tum aucta germen, antheræ & corpuscula clavatum. In caldario Julio florat. In icone Plumieri exhibetur tota planta multoties diminuta.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA OCTAVA.

CISTUS LÆVIPES. *Linn. syst. pag.* 367

Cistus suffruticosus, procumbens, foliis alternatim conferta, inæqualibus, setaceis. *Gerard. prov. pag.* 394. *tab.* 14.

Cistus thymi folio, saxatilis, italicus. *Barr. ic.* 290.

Cistus humilis massiliotica, camphoratæ tenuissimis foliis glabris. *Pluk. alm.* 107. *t.* 84. *f.* 6.

Cammæcistus massiliensis, foliis camphoratæ similibus & glabris. *Raj. hist.* 1016.

Helianthemum massiliense, corniculatum folio. *Tourn. inst.* 250.

Radix lignosa & ramosa perennat, ca[illegible] [illegible] teretes, suffruticosos, a[illegible] [illegible]tos ligneos, juniores herbaceos, glaucos, [illegible]fos, diffusos, in iisdem plantis alios [illegible]aliter p[illegible] [illegible] affecidentes, paucos erectissimos. Folia sunt alterna, glau-ca, lineaia, a[illegible]la, g[illegible], acuta. N[illegible] in folium foliarium conspicitur, sed una cum singulis foliis foliola alia duo, triplo breviora, eorundemque latus claudentia, adeo-que veræ stipulæ, de ramis enascuntur. Inter hæc ex ala folii postea alia simili modo disposita folia successive plura prodeunt, ut fasciculatim tunc folia ramis insideant. In racemis terminalibus viscosis & raris flores locantur modori. Calycis hirsuti foliola duo exteriora sunt linearia, tria interiora late ovata, [illegible], longitudinaliter rugosa & ex albo viridi purpureoque varia. Petala ovata & apice obsolete crenulata calycem parum superant. Filamenta exteriora sterilia sunt. Antheræ luteæ. Germen triquetro-globosum. Capsu-la trigono-subrotunda, obsolete sulcata, glabra, trilocularis, trivalvis, semina in quoli-bet loculamento continet gemina ovata, hinc convexa illinc angulata, dissepimentis de media quaque valvula longitudinaliter enatis.

TABULA CENTESIMA QUINQUAGESIMA NONA.

CONVOLVULUS DISSECTUS. *Linn. mant.* 204. *Jacq. Obs.* 2. *p.* 4. *t.* 28

Mereor [illegible] hanc plantam, hucusque, quantum novi, in Europa, [illegible] quam in orbe nostro, haud obvia, completiore icone donari, quam illa est, ante quinquen-nium a me edita, quando fructum examinare nedum contigerat. Tandem quadriennis planta una cum floribus numerosis fructus maturos fere octoaem tulit. Semina ex itinere Americano mecum portaveram, sed non occurrit certus collectionis locus. Radix ramo-sa & perennis in caldario producit caules plures volubiles, ad[illegible]sime scandentes, pilis longis mollibus albidisque hirsutos, teretes, ad aliquam altitudinem persistentes & fruticulo-sos, cæterum herbaceos & hyeme pereuntes. Petioli unam alteramve unciam longi, si-

multerque pilosi, folia sustinent profunde palmata, utrinque glabra; flobis lanceolatis acutis, & varie dissectis. Ex alis foliorum egreditur pedunculus solitarius; pilosus ad geniculum usque, rarius ultra hoc, teres, longitudine circiter foliorum, unifloros vel quandoque biflorus. Calyx clausus ante floris expansionem est acuminato-conicus; in fructu nedum maturo ovato-acuminatus, post fructum maturum patens & marcescens. Sunt autem ejus foliola arcte convoluta, ex oblongo ovata, acuminata, cum virore palentia, subpellucida, & membranacea. Petali albentis cum fundo interiore purpureo limbus marginem habet quinquelobatum, lobis rotundatis cum acumine. Antheræ oblongæ flavent. Stigma est parvum globosum & didymum. Capsula subrotunda, parum depressa, membranacea, nitida, fuscescens, bilocularis & quadrivalvis continet in quoabet loculamento [illegible] gemina, hinc convexa, inde angulata, glabra, & atra. Dissepimentum est obverse cordatum & pellucidum. Floret a Junio ad Octobrim. Semina maturescunt Augusto & Septembri. Tabula repræsentat ramos pendulos.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA.

HELIANTHUS ALTISSIMUS *Linn. syst. pag.* 569.
Chrysanthemum virginianum altissimum, puniceis caulibus. *Moris. hist.* 3. *pag.* 24. *s.* 6. *t.* 7. *f.* 67.

Radix lignescens, fibrosa & perennis multos annuos [illegible] producit, erectos, teretes, medulla nivea farctos, sex vel plures pedes altos, ex fusco purpurascente colore magis minusve tinctos, valde foliosos, magnam partem glabros, superne divisos in ramos asperos & subhirtos. Folia sunt ex oblongo lanceolata, acuminata, rariter atque obtuse serrata, aspera, atrovirentia, attenuata in petiolos breves & subciliatos, caulina opposita vel etiam subterna & semipedalia, ramea inordinate alternantia. Ramuli elongantur in pedunculos unifloros hirsutos & erectos. Calycis foliola angusta valde, villosa & ciliata, exteriora virent & laxius patent, interiora inferne nigrescunt. Corollulæ in radio sunt circiter tredecim, flavæ, longæ, aut integerrimæ, aut apice subdentatæ. Corollularum disci tubus haud multum est ventricosus. Pateræ pellucidæ patent cum apicibus atrovirentibus. Antheræ nigræ in principio extra corollulas totæ eminent, stigmate conspicuo tunc nullo. Hoc se brevi extremitatibus suis divergentibus de antherarum vagina extricat, hanceque, sic paulatim dive[illegible]ndo, ita deprimit, ut intra corollæ tubum tandem occultet. Germina cum in floscules hermaphroditis tum in fœmineis æque magna sunt. Crescit sub dio.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA.

HELIANTHUS TUBEROSUS. *Linn. syst. pag.* 569.
Helenium indicum tuberosum. *Bauh. pin.* 277.
Chrysanthemum latifolium brasilianum. *Bauh. prodr.* 70.
Chrysanthemum perenne majus, folius integris, americanum tuberosum. *Moris. hist.* 3. *pag.* 23. *s.* 6. *t.* 5. *f.* 59.
Corona solis, parvo flore, tuberosa radice. *Tourn. inst.* 489.
Flos solis Farnesianus; Aster peruvianus tuberosus. *Col. ecphr.* 2. *p.* 11. *t.* 13.
Flos solis pyramidalis, parvo flore, tuberosa radice. *Raj. hist.* 335.
Sol altissimus, radice tuberosa, esculenta. *Hall. Rupp. jen. pag.* 168.

Radix annua, circiter sempedalis, teres, digitum vel pollicem crassa perpendicu[illegible] [illegible] teretem, ejusdem crassitiei, scabrum, firmum, subligneum, medulla solidiore farctum, a sex ad decem pedes alcum, totum foliosum, annuum, & superne in ramos paniculatim divisum, plerumque paucos, quia ingruente frigore [illegible] piscatur evolutionem. Mediam circa æstatem radix primaria ver[illegible] quæ, paulatim increscendo, tandem laoente autumno in massas ar[illegible] difformes, alias etiam minores, in capita sæpe varia exuberantes umbi[illegible] pureo rubentes, intus albidas & carnosas. Ex his proximo anno novi caules e[illegible] atque sic planta propagari pergit. Minora sic tubera multiplicationi dicantur, majora cocta varieque præparata optimum dant cibum, unde hæc jam a longo tempore Sentemnitzii in Hungaria in foro venibant, ante paucissimos annos nunc etiam Viennæ venalia. Folia sunt ovata, acuta, serrata, scabra, alterna, majora ferme pedalia, ultra tres nervos principiores per petiolum decurrentia. Calycis communis foliola sunt lanceolato-acuminata, atrovirentia, pilis albidis ciliata, imbricata, numerosa, exteriora magis patula. Corollæ luteæ in radio tubum habent brevissimum, limbum maximum, ellipticum, integerrimum vel vix evidenter bidentatum. Antheræ nigrescunt. Styli & stigmata sunt lutea. Autumno favente florent Octobri & Novembri, hinc rarissime semina perficit. Ex America ortum ducit.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SECUNDA.

PASSIFLORA LAURIFOLIA. *Linn. sp.* [illegible] 958.
Passiflora arborea, laurinis fo[illegible] 282 t. 211 f. 3.
Clematis indica, fructu citriform., [illegible] 64. t. 80.
Marquiaas. *Marcgr. bra.* [illegible]

Tandem hæc planta, ante annos octodecim de seminibus ex Ma[illegible] trans[illegible] hoc anno primos flores produxit, fructus vero nullos, cujus ramum pendulum florentem exhibeo, minusque exacte antea descripti floris characterem trado, in[illegible] illa, quæ jam edideram. Passim in insula Martinica sponte provenientem vidi, æque in montosis, quam ad ripas torrentum littoraque inundata maris, at semper in fruteetis & arboretis densis, quorum verticem obvestit. Fruticosa & lignosa est, totaque glabra. Rami juniores teretes virent. Folia habet ex oblongo ovata, acuta vel obtusa, integerrima, [illegible] ne uniglanduloso suffulta. Ex horum alis cirrhi egrediuntur longi[illegible] tarii florem sustinent singularem, speciosum, odoratissimum, diametro duas uncias æquantem. Involucri triphylli & calyci proxime adstantis foliola sunt ovata, acuta, virentia, & rariter dentata vel integerrima. Calycis foliola lanceolata, acuta, integra, foris pallide virentia, intus ex carneo pallidoque varia. Petala angustius lanceolata & acuta extus pallent, intus rosei sunt coloris. Omnia hæc floris foliola, ejusdem fere longitudinis, sursum flectantur. Nectarii corona constat serie duplici, nec tripici fibrarum crassarum ex albo purpureo & violaceo transversim & eleganter variegatarum; exteriore breviorum & pacentissimarum, interiore serie magis conniventium. Antheræ sunt luteæ. Stigmata tria vel quatuor patent. Fructus ovatus & utrinque æquaiter attenuatus, [illegible] tres uncias longus, immaturus virescit, maturitatem suam luteo colore indicat. Cortex coriaceus, mollis, tenax vade, fereque aneam crassus, ad apicem cultro vel morsu perforatur, ut levi accedente fructus compressione exsugi inde omnis cum contentis [illegible] bus pulpa & sorberi possit. Hæc ex aqueo alba est, [illegible] & proprium spirans aroma, Europæis non minus quam [illegible] Pommes de Lianne, Anglis Honey-Suckles.

T 3.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA TERTIA.

PASSIFLORA SUBEROSA. *Linn. syst. pag.* 599.
Passifloræ affinis, hederæ folio, americana. *Pluk. alm.* 202. *tab.* 210. *f.* 4.

Radix longa & [illegible] est. Caules [illegible] ramosissimi, & [illegible], juniores teretes nitidique virent, adulti albedine obducuntur super cortice, quæ paulatim incrassescendo in suberosam fissamque degenerat materiem, intra quam tamen cortici pristinus vigor priorque nitiditas persistunt. Rami obscure purpurascunt. Folia sunt ovata vel lanceolata, acuta, plus minus seminuoba vel integerrima, glaberrima, sæpe lucida, crassiuscula, alterna, oris ad microscopium villosis. Petiolo insident purpurascenti, subtus teretes, superne sulcato cum duobus marginibus breviter ciliatis, glandula utrinque munito obtusa cum apice perforato, alternante vel opposita, breviore aut pedicellata. Stipulæ sunt subulatæ. Cirrhi de axillis exeunt. Sic etiam pedunculi plerumque gemini, raro solitarii, qui florem gerunt singularem, inodorum & calyce destitutum. Petala quinque ex lanceolato oblonga, obtusa, plana, & cum virore dilutissime flavescentia, post fecundationem peractam foris paulatim magis rubescunt, in fructu emarcida & fusca; orta ex basi communi planiuscula & decemsulcata. Coronæ tripicis fibrillæ exteriores longiores & reflexæ flavent cum basi atropurpurea. Fibrillæ ordinum interiorum brevissimæ ex atro [illegible] pallidis. Antheræ flavent. Styli sunt tres vel quatuor. Fructus [illegible] ovata, glabra, olivæformis; saturatissime violacea, mollis, referta pulpa dulci [illegible] purea, seminibusque ovatis, compressis, obtusis, fuscescentibus & punctatis. Floret in caldario per totam æstatem, & fructus fert maturos numerosos autumno. Non ausus fui in synonymia addere Plumieri icones a Linnæo citatas, quod nimium abludant a planta nostra.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA QUARTA.

EUPATORIUM ALTISSIMUM. *Linn. syst. pag.* 537.
Eupatorium frutescens annuum; floribus albis; foliis lanceolatis, infimis serratis, superioribus integris angustioribus. Clayton. *Gron. virg pag.* 118.
Eupatorium virginianum, longissimis & angustissimis foliis. *Moris. hist.* 3. *p.* 97. *Raj. suppl.* 187.

Radix sub dio perennans plures annuatim erigit caules erectos, teretes, totos foliosos, villosos, superne paucioribus ramosos, altitudinis humanæ. Folia sunt opposita, raro quædam terna, longe lanceolata, utrinque attenuata, acuta, subsessilia, dorso subvillosa & trinervia, facie obscure virentia, utrinque ad microscopium valde punctata, summo integerrima, inferiora supra mediietatem serrata. Flores numerosi summis ramis fasciculatim insident, erecti & suaveolentes. Calyces foliola sunt obtusa, villosa, & glauca. Corollæ albæ & quinæ. Antheræ nigræ. Stigmata alba. Floret Septembri.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA QUINTA.

ERIGERON VISCOSUM. *Linn. syst. pag.* 549.
Virga aurea, foliis glutinosis & graveolentibus. *Tourn. inst.* 484.
Conyza major. *Clus hist. XIX. Dod. pempt.* 1. *l.* 2. *c.* 32.
Conyza mas Monspeliensium odorata. *Bot. monsp.* 75.
Conyza mas Theophrasti, major Dioscoridis. *Bauh. pin.* 265.

Ad sepes, vineas, in incultis & arvis per maximam Europæ partem crescit, radice lignosa perennante, & caulium basibus sæpe etiam fruticulosis. In horto jam per decem annos subsistit, hyeme in hybernaculo servandum. Sunt autem caules ex eadem radice plurimi, erecti, teretes, bipedales, inferne fusci glabri & subligniosi, superne virentes villosi & viscidi, simplices aut ramosi ad basin. Folia sunt anguste lanceolata, utrinque attenuata, acuta, serrata manifestius vel obsoletius, summa etiam integerrima, villosiuscula, subscabra, parum viscosa, graveolentia, duas uncias longa, inordinate alternantia totumque obsidentia caulem. Hirsuties vero tantilla est, ut vix apte potuerit a sculptore exprimi. Ex alis foliorum in superiore caulium & ramorum parte exeunt pedunculi uniflori, erecti, villosi, teretes, inferiores foliosi, summi aphylli. Floribus odor est cum foliis communis. Calycis patuli squamæ sunt numerosæ, viscidæque. Corollæ fœmineæ radiantes luteæ, oblongæ, apice bi- vel tridentatæ, rarius integerrimæ, patentissimæ, numero variant a sex ad viginti. Corollulæ disci, antheræ & stigmata eundem colorem habent. In omnibus pappus est ad lentem breviter plumosus. Floret Septembri & Octobri.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SEXTA.

URTICA NIVEA. *Linn. syst. pag.* 622.

Pentr, quas plurimas possidet Hort. [illegible] scandunt sunt, et mares esse [illegible] individuis, quos nedum videre mihi contigit. Radices teretes, digitum crassæ, intus albæ, foris ferrugineæ & scabræ, ramis fibrillisque auctæ, fragiles, [illegible] glutinosæ admodum sunt, cæterum sapore & odore carent. Hæ perennantes prorumpunt caules plures, erectos, firmos, teretes, totos medulla pallente plenos sordide purpurascentes, inferne glabros, cæterum villosissimos. Stipulæ sunt lanceolatæ, pellucidæ, inque setam terminatæ. Folia sunt latissime sive ex subrotundo ovata, in acumen attenuata, crenata, alterna, subtus tomento vix conspicuo alba cum venis insignioribus rubentibus perque venulas numerosissimas reticulata, superne atrovirentia & scabriuscula, affixa petiolis longis teretibus villosis & rubentibus. Racemi teretes, ramosi, villosi & patentes ex foliorum alis egrediuntur aggregatim per totam caulium superiorem partem. His flores dense insident. Calyx sive involucrum constat foliolis ovatis, concavis, acuminatis, hirsutis, patentissimis, pallentibus, numero incerto quatuor vel pluribus. Hæc colligunt germina plura, plus minus octo, ovata, acuta, hirsuta, desinentia in stylum longum filiformem erectum & pubescentem. Planta innocua est, nec vel minimum urit. Floret Novembri & Decembri in hybernaculo. Æstatem agit sub dio. Non ausus fui Rumphii Ramium majus tanquam synonymon hujus plantæ citare, quum plura repugnent. Caules plerumque primo anno sunt simplicissimi, atque frigore hyemali appropinquante in hybernaculo perire solent. In caldario autem tunc ramosi evadunt, & fruticosum habitum acquirunt.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA SEPTIMA.

NISSOLIA FRUTICOSA. *Linn. syst. pag.* 472. *Jacq. hist. amer. pag.* 198. *t.* 179. *f.* 44.

Non alia planta ex America torrida lætius vegetat in cadaris nostris quam hæc Nissolia. Ex radice ramosa caules fruticosos emittit plures, teretes, calami crassitie, lenissimos, flexiles, volubiles, foris cinerascentes, altissime scandentes, densaque ramorum co-

ma

ma oneratos. Vicinas arbusculas ad quindecim pedum altitudinem scandisse in solo natali vidi. In caldariis vero nostris quaquaversum duci potest, & percurrere spatium tripio aut quadruplo longius. Hyeme, quando hic folia deposuit, funium adscendentium atque dependentium sylvam aliquam repræsentat. Egit etiam integram æstatem sub dio optime. Duodecimum ætatis annum adepta, tandem primos flores produxit æque in horto Botanico quam in aulico Schonbrunnensi, sed fructum nullum, quum sero, scilicet Novembri, floruit. Folia habet numerosa, alterna, & pinnata; costa teres, subvillosa, tres quatuorve pollices longa, foliolis utrinque duobus cum impari terminante, subovatis, integerrimis, obtuse acuminatis, glabris, breviter petiolatis. Pedunculi communes brevissimi flores numerosos colligunt, prodeuntes in ramusculis junioribus ex foliorum axibus, & ultra hæc ex nudis tuberculis, in loco natali sæpe efficientes paniculam foliosam & florigeram elegantem. In nostris autem florentibus plantis rami fuerunt indivisi. Flores inodori, parvi & lutei, marcescentes striis purpureis variegantur. Capsula cinerascens ex basi teres, quæ unicum (reliquis paucis abortantibus) semen oblongum rufum & subteres continet, excurrit in alam membranaceam oblongam & obtusam, nec dehiscit.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA OCTAVA.

SINAPIS ALLIONII.

Clarissimus Allionius misit semina hujus plantæ, cui, dum nullum synonymon reperio, sit nomen tuum a Linnæo. Radix fibrosa, annua est. Tota planta aut est glaberrima, aut in caule foliorumque dorso raris pilis rectis albidisque adspergitur. Caulis solitarius, teres, nudus, parum ramosus, & sesquipedalis erigitur. Folia omnia sunt pinnatifide laciniata, obtusiuscula, insipida, laciniis inæqualiter pinnato-dentatis; summa sessilia; reliqua petiolata. Radicalia, præter cotyledonis folia, alia adsunt nulla. Flores in racemis erectis raritur locantur, ferme inodori. Calyx cum aliquo virore flavens patet. Petala sunt flava. Sic etiam antheræ. Et reliqua cum ipsis glandulis conveniunt cum charactere Linnæano. Siliquæ ex ovato oblongæ, rugosæ, nitidæ, rectæ, nullatenus hirsutæ, propter valvulas ad semina appressas subtorosæ, utrinque paucis lineis longitudinalibus prominentibus notantur, vix dehiscunt sponte, & colore gaudent stramineo. Dissepimentum ultra loculamenta in rostrum desinit capitato-obtusum. Semina compressa in quolibet loculamento continentur circiter quina ex fusco ferruginea. Sub dio floret Junio. Semina perficit sub Julii finem.

TABULA CENTESIMA SEXAGESIMA NONA.

SINAPIS INCANA. *Linn. syst. pag.* 445. *amœn. acad.* 4. *pag.* 281. Erysimum folis subincanis, siliquis brevissimis. *Herm. parad.* 155. *Vaill. paris.* 51.

Radix fibrosa & annua caulem protrudit bipedalem, subteretem, ramosissimum, villis brevissimis & vix conspicuis asperum. Folia radicalia & infima (cujusmodi separatim in tabula sistitur,) sunt pinnatifida: laciniis inæqualiter ac obsolete dentatis, plerumque alternantibus, obtusis, extima maxima. Subsequa oblonga vel subovata, inæqualiter sinuato-dentata, ad basin sæpe auriculata. Summa lanceolata magisque acuta. Omnia petiolata, subaspera, canescentia, pilisque vix conspicuis obsita. Rami elongantur in racemos virgatos, superne florentes. Petala sunt lutea, obverse ovata, & calyce palide flavo duplo longiora. Siliquæ eriguntur, & ad caulem veluti adprimuntur, immaturæ hirsutulæ; maturæ glabriores, breves, rectæ, oblongæ, tenues, compressæ, rostro donatæ

tæ obtuſo. Semina flaveſcunt. Creſcit ſponte in Europa Auſtrali. Siliqua matura etiam adpingitur.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA.

SINAPIS ERUCOIDES. *Linn. ſyſt. pag.* 445. *amœn. acad.* 4. *pag.* 322.
Sinapi hiſpanicum pumilum album. *Tourn. inſt* 227.
Eruca ſylveſtris, flore albo, italica. *Barr. ic.* 132.

Ex radice ramoſa [illegible] & annua caulis erigitur [illegible], [illegible] brevious ſcaber, erectus, ramoſus, viridis & ſesquipedalis. Folia ſunt oblonga, pinnatifide ſinuata, inæqualiter dentata, virentia, excepto nervo medio hirſutulo cæterum glabra; radicalia & infima in petiolum attenuata, reliqua ſeſſilia. Rami elongantur in racemos. Calyx patens viret. Petala alba, obverſe ovata, ſubemarginata, ad apicem ſæpe macula flaveſcente inſignita, unguibus inſiſtunt longitudine calycis, erectis, nec patulis. Siliquæ glabræ, ſublineares, compreſſæque, una cum pedunculis patentiſſimæ ſunt, deſinuntque in roſtrum compreſſo-planum & ad apicem emarginatum. Semina ſunt parva & rufa. Creſcit ad Italiæ & Hiſpaniæ vias & vineas.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA PRIMA.

SINAPIS JUNCEA. *Linn. ſyſt. pag.* 445.
Sinapi indicum maximum, Lactucæ folio. *Herm. paradi. pag* 230 *tab* 230

Planta annua [illegible], [illegible], [illegible], [illegible], partim ſapida, caules habet ramoſque ſubteretes, pedunculos autem communes magis angulatos. Radix fibroſa albeſcit. Folia inferiora obverſe ovata, petiolata, baſi pinnatifida, inæqualiter ſerrata & acuta alternantur; ſuperiora ſunt lanceolata & æqualiter ſerrata; ſumma ex lanceolato oblonga & integerrima per baſin attenuatam ſubſeſſilia evadunt. Racemi in planta fruteſcente ad ſex vel novem & plures uncias producuntur. Flores odorem ſinapis nigræ non gratum poſſident; calyce gaudent patulo & cum flavedine virente, petalis autem antherisque luteis. Siliqua eſt ſesquipollicaris aut bipollicaris, obſolete tetragona, ad ſemina torulosa, leviter compreſſa, nudaque. Diſſepimentum ultra valvulas ad tres quatuorve lineas in roſtrum rectum elongatur. Semina ſunt ſubrotunda & nigricantia. Pedunculi proprii ad angulum acutum patent. In planta feneſcente ſæpius rami numeroſi de caule ramisque principalioribus egrediuntur, ut planta tunc merum denſumque ramorum faſciculum formet. Tabula adoleſcentem illam proponit. Sub dio florere incipit Majo, & ſemina dat matura Julio. Aſiam & Chinam clariſſimus Linnæus patriam aſſignat.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

BRASSICA ERUCASTRUM. *Linn. ſyſt. pag.* 444.
Eruca ſylveſtris major lutea, caule aſpero. *Bauh. pin.* 98.
Eruca ſativa. *Fuchs. hiſt.* 262.
Siſymbrium folius pinnato-dentatis. *Linn. hort. Cliff pag.* 337. *Roy. lugd. pag.* 341. *Dalib. par.* 205.

Ra-

TAB. CENTESIMA SEPTUAGESIMA SECUNDA.

OENOTHERA LONGIFLORA. *Linn. mant.* 227

Elegans plantula [illegible] Tota annua [illegible] primo ve re fatam, Septembri florentem, producentem caulem centralem erectum ante laterales ex procumbenti adscendentes, quod rarius accidit, dum plerumque caules laterales plures ex foliorum radicalium axillis exeunt, in orbem positi, jamque longi & florentes, priusquam centralis prodit. Horum autem rudimenta in icone jam apparent. Radix [illegible] & digitum pollicemve crassa promit folia radicalia, in orbem patentia, longe lanceolata, versus basin sensim attenuata, sempedalia vel longiora, acuta, denticulata, ciliata, virentia cum nervo medio albicante, utrinque pubescentia, obique nervosa, crassiuscula. Folia caulina sunt alterna, sessilia, lanceolata, cæterum radicalibus similia. Caules sunt teretes, virentes, versus inferiora asperi punctis sanguineis, pilis albidis patulisque hirti, tandem bipedales. Flores solitarii insident foliorum caulinorum axillis. Germen est teres & hirsutum. Calyces hirsuti tubus ferme tripollicaris & striatus pallide rubescit; laciniæ concavæ virent cum margine rubente, ante explicationem limbum formantes tetragonum. Corolla suaveolens, speciosa, diametri bipollicaris, petala habet obverse cordata, valde emarginata, ampla, flavissima; qui color in connivente iterum atque marcescente flore mutatur per aurantiacum in rubrum. Fructus obsolete tetragonus, quadrisulcatus, hirsutus, apice quadrifido obtusoque. Sponte crescit in agro Americæ australis Bonariensi. Etiam fructus maturus adpingitur.

TAB. CENTESIMA SEPTUAGESIMA TERTIA.

CORCHORUS TRILOCULARIS. *Linn. syst. pag.* 369. *mant.* 77.

Arabica planta, in Europam a Forskæl missa, [illegible] apud nos ægrius crescit, in caldario læte vegetat, annua, pedalis, tota scabriuscula, erecta, florens a Junio ad Septembrem, prima semina sub finem Julii perficiens. Caules & rami sunt teretes. Folia sunt alterna, petiolata, ex ovato oblonga, sublineata, serrata; serraturis infimis inferiorum mutcis; superiorum, nec tamen omnium aut semper utrinque, serraturis iisdem seta terminatis. Stipulæ sunt subsetaceæ. Pedunculi ferme opponuntur petiolis, breves, ab unico ad tres flores brevissime pedunculatos ipsos sustinentes. Calyx purpurascit obsolete, in flore clauso quinquangularis. Petala sunt obverse ovata, leviter emarginata aut integerrima, flava. Stamina circiter viginti. Antheræ luteæ. Siliqua bimeralis, striata, triquetra cum angulis linea exaratis, scabra, ad apicem simplex, trilocularis, trivalvis. Semina parva & cærulea serie longitudinali duplici valvulis affiguntur. Capsula matura aperta & semen sistuntur in margine. Floret æstate.

TAB. CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUARTA.

ASTRAGALUS TRIMESTRIS. *Linn. syst. pag.* 499.

In Aegypto sponte crescit. Sub ano latus primo vere, apud nos flores Junio Julioque, Augusto maturos fructus largitur, brevique tunc exarescendo perit. Sæpe jam ante caulis elongationem scapus floriger unus alterve de foliorum subradicalium axillis exsurgit, ut subacaulis tunc dici mereatur; manetque fortassis in hoc statu plantula in solo arido. In horto tandem caulis assurgit spathamæus, erectus, teres, rubellus, pilis albis re-

gidioribus appressis hirsutus, & ad basin parum ramosus. Foliola costæ communi teretl hirsutulæ & erectiusculæ insident utrinque ut plurimum decem vel undecim cum impari, oblonga, emarginata, subhirsuta, integra, opposita, brevissime petiolata, & semipollicaria. Stipulæ sunt setaceæ & pilosæ. Pedunculi communes eriguntur, axillares, solitarii, teretes, villosi, folia breviores, extremitate racemosa sustinentes tres quatuorve flores patulos. Calyx florens & pilis hirtus fuscis denticulos habet subulatos. Petala sunt pallide ochroleuca. Vexillum calycem bis superat. Alæ sunt obtusæ. Carina concava & formicata. Antheræ aurantiacæ. Legumen subulatum, glabriusculum, brunciale, postice carinatum, antice teres & hic longitudinaliter dehiscens, subspiraliter arcuatur. Semina palliae flavent. Reliqua, uti character habet. In margine habetur leguminis transverse dissecti pars cum semine.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA QUINTA.

GEUM CANADENSE.

Carophyllata canadensis, agrimoniæ folius. *Hort. Reg par.*

Sub præfato titulo radicem vivam accepi ab amicissimo Spielmanno, quæ, dum jam per triennium in horto proxime adstans Geo urbano crevit, plantam constanter produxit ab hoc uti facie vel primo intuitu, sic verbis vix distinguendam. Habitus idem utrique est. In Canadensi vero petala sunt alba, & calyce ut plurimum breviora. Totius plantæ viror non adeo in nigredinem tendit. Foliola omnia magis attenuantur versus basin. Junio demum mense floret, dum Geum urbanum primos flores jam Maji initio profert. Nullam in radice fragrantiam detego. Hinc ceu novam speciem propono. Ad marginem pistillum auctum additur, quod nec ab urbano discrepat. A Geo virginiano, cui Linnæus attribuit flores in florescentia nutantes, pedunculos versus florem incrassatos, & folia radicalia subbipinnata, quodque non vidi, propter hæc ipsa separo, quum in nostram plantam minime cadant.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEXTA.

VERBENA AUBLETIA

Elegantis plantæ radix ramosa fibrosissima albida & perennis caules, jam primo anno gignit plures adscendentes tetragonos ramosos pedales subscabros & subdichotomos, ad basin, qua terram tangunt, radices agentes. Folia sunt opposita, in petiolos attenuata, subovata, inæqualiter serrata, incisa, venosa, bruncialia. Spicæ pedunculatæ, paulatim in florescentia elongantur, dum in principio flores capitati sunt, quales tabula repræsentat in planta junore, qui ab inferioribus flos succedendo spicam tandem densam & bipedalem ex calycibus fructigeris compositam formant. Calyces oblongi quadrisulcati & semiquadrifidi denticuli sunt setacei, quorum duo anteriores breviores. Corollæ tubus calyce longior ad basin pallet, superne purpurascit, incurvatur, & ad faucem est hirsutus. Limbus colore roseo saturato eleganter rubet, & planus ac subbilabiatus in lacinias dividitur oblongas, apice latescentes, obtusissimas, infimam emarginatam, aut emarginatas pares vel omnes. Filamenta sunt quatuor omnium brevissima, antheris flavis. Stylus viret. Stigma est obtusum crassiusculum & subbifidum. Semina quatuor, linearia, glabra, nigricantia. Tota planta suavillosa est, florens sub dio a Junio ad Novembrem. Sub Aublet iæ nomine a Dickio semina habui, quæ genuina Veronicæ tetrandræ species est, ut ab hac nequeat ulla nota avelli. In Peravia & Florida sponte crescere, illustris Linnæus mihi autor est.

TA-

TAB. CENTESIMA SEPTUAGESIMA SEPTIMA.

CUPHEA VISCOSISSIMA

Radix fibrosa & annua caulem emittit erectum, teretem, glanduloso-pilosum, valde viscosum, tandem pedalem, & ex [illegible] & subi[illegible] [illegible] fari, ut tota depicta mea, minor planta in eadem adulta pro ramo quodam inferiori haberi queat. Folia sunt ex ovato lanceolata, basi attenuata, integerrima, acutiuscula, ciliata, subvillosa, petiolata, omnia opposita. Pedunculi breves solitarii & uniflori inter petiolos de caule & ramis alternatim egrediuntur. Calyx strus elevatis notatur, tubulosus, pilis capitato-glandulosis valde viscidus, inferne ventricosior, basi superne ultra pedunculum in gibbum productus, interne a tergo filamentorum rubra pube barbatus, apice sexfido, dentibus tribus superioribus latissimis; omnibus interne purpureis & hirsutis, postque corollae lapsum connivendo tubum claudentibus. Petala sex, ex purpureo rubra, obverse [illegible]ata, ungue brevi calycis limbo inserta, obtusissima, plana, patentia; quorum duo superiora sursum versa triplo majora quatuor reliquis deorsum tendentibus. Filamenta duodecim, subulata albidaque, inseruntur tubo calycino supra medium. Horum duo omnium brevissima & barbata pilis purpureis locantur ad latera laciniae superioris; reliqua barba praedita alba alternaque pauxillo longiora subjiciuntur petalis minoribus. Antherae flavent. Stylus hirsutus & albus erigitur. Capsula ovata, obtusa cum stylo superstite, calyce minor, tenuissime membranacea, pellucida, pallida, dorso longitudinaliter dehiscens, unilocularis. Semina a decem ad quatuordecim, subrotunda, compressa, glabra, fusca, receptaculo medio columnari carnoso crassoque affiguntur. Hoc sponte una cum adhaerentibus seminibus, forte quod haec tanta totque intra capsulam parvam contineri nequeant, capsulam cum ipso calyce longitudinaliter disrumpit, extra eandem foras prodit, erigiturque. Et fit hoc in omni constanter flore ante maturitatem, ut sic in planta angiosperma semina extra pericarpium maturescant, singulari phoenomeno, quod strpem, Lythro caeterum quam maxime affinem, ab hoc insigniter disjungit. Floret in caldario, ubi, quam sub dio, vegetat laetius, a Junio ad Octobrim. Patria forte in zona Americana torrida est, quum sub Cupheae Brownei titulo missa semina fuerunt. Brownius vero plantae suae flores tribuit spicatos terminales pentapetalos decandros. Cupheae Brownianae speciem tamen credo, quare nomen genericum servavi. In margine exhibentur seorsim semen, receptaculum, & flos jam disruptus.

TAB. CENTESIMA SEPTUAGESIMA OCTAVA.

HYACINTHUS ORCHIOIDES. *Linn. syst. pag.* 248.

Bulbum ex Promontorio Bonae Spei accepi, subrotundum, structuraque & propagandi ratione Hyacintho orientali similem, qui autumno terrae in caldario commissus floruit proximo Februario. Ex icone transmissa asserunt mihi illustris Linnaeus, esse suum Hyacinthum orchioidem. Variat igitur nimiopere haec planta; quod patebit facile, si iubet tres Breynianas, utramque Buxbaumianam, a laudato viro tanquam synonymas adductas, meamque hanc comparare. Prioribus sola duo folia omnes autores tribuunt; mea tamen semper polyphylla est. Nihil tamen decidam, quam unicam hanc videre contigerit. Tota glabra est. Folia sunt plura, uniformiter virentia nec maculata, ex subensiformi basi in figuram subulatam terminata, dorso convexa, prona parte carinata, extremitate vero teretia integerrima & acutiuscula, aliqua etiam inferne plana, carnosa, semipedalia vel longiora. Scapus erigitur folius paulo longior, subteres, ad flores obtuse angulatus, virens cum adspersis maculis punctisque ferrugineis, & superne dense racemosus ex floribus cir-

ci-

ceter tricenis. Pedunculi proprii ad angulum acutum egressi, albidi, bracteolaque alba suffulti, florem sustinent erectiusculum. Petala sex nivea ad basin usque dividuntur, quorum tria exteriora breviora, erecta, lanceolata, obtusiusculi, & concava, fons ad apicem macula insignuntur virente. Tria interiora cum exterioribus alternantur, obverse lanceolata, obtusissima, plana, & superne in limbum patentia. Filamenta albent. Antheræ flavent. Germen sexsulcatum viret; nec potui in hoc ullos poros melliferos detegere. Stylus subulatus & pallens in stigma abit ferme simplex. Capsula membranacea, obtuse trisulcata & trilocularis continet semina paucissima, atra, rugosa, & subrotunda cum parvo utrinque acumine. Odor floribus est syringæ. Flos auctus in latere adstat.

TABULA CENTESIMA SEPTUAGESIMA NONA.

CHEIRANTHUS FENESTRALIS. *Linn. syst. pag.* 442 *spec. pl. pag* 924.

Ex radice brevi ramosa & annua primo anno assurgit caulis teres, cubitum minorem crassus vel tenuior, erectus, semipedalis, maximam partem foliis patentibus densissime vestitus, ad basin ob folia delapsa nudus. Hæc sunt lanceolata, integra, utrinque incana, coriacea, obtusa, sessilia, undata, recurvata, ad caulis apicem valde conferta & fronduosa, hyeme in tepidario persistentia. Altero anno caulis producitur ad duplam altitudinem, folia successive inferiora cadunt plura, alia ad apicem nova eodem ordine prodeunt, tandemque ex caulis extremitate assurgunt racemi florifer, bini terni vel quaterni, in principio unicus, paulatim elongandi, demum pedales, erecti, stricti, incani. Flores conveniunt cum Cheiranthe incano. Siliquæ breviores magisque crassæ, cæterum etiam similes, includunt semina fusca cum margine albido. Floret a Majo ad Junium. Semina perficit Octobri & Novembri. Quando durat in tertium annum, rami laterales racemiferi pauci de caule exeunt.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA.

OXALIS VIOLACEA. *Linn. syst. pag* 318.

Oxalis scapo multiflora; foliis radicalibus ternatis, foliolis obverse cordatis. *Gron. virg. pag* 71.

Oxys purpurea virginiana, radice squamata. *Tourn. inst.* 89.

Oxys purpurea virginiana, radice lilii more nucleata, capitulis, postquam defloruerunt, bulbillis ut in allio corvino constatis. *Plak. alm.* 274. *t.* 52. *f.* 102.

Egens plantula æstatem suo solo transigit, hyemem in tepidario. Sylvestris nec in communicata ab amplissimo Gronovio virginiana planta, tum etiam illa, quam in saxosis insulæ Caribeæ Montserrat sponte provenientem vidi, folia habent duplo minora, figuramque magis triangularem, dum latera ex recta nec curva linea sint, uti in culta. Radices sufiformes, albæ, glabræ, fibrillis auctæ numerosis, superne obsidentur denso agmine bulbillorum fuscescentium, inter quæ folia egrediuntur radicalia omnia, & æqua longitudine scapi nudi. Petioli sunt longi, teretes, erecti, pilis rarissimis adspersi vel glabri, aliqui basi abeuntes in vaginam bulbillos amplexantem. Foliola sunt obverse cordata & glabra. Scapi compressi, pilosiusculi, & umbellati aut imperfecte dichotomi, flores proferunt plures, mutuo succedentes, erectos, ante & post expansionem cernuos, inodoros. Calycis foliola ovata, glabra, corolla ferme quadruplo minora, erecta, virent pallide cum macula rufa parvaque ad apicem. Corollæ infundibuliformis petala sunt ex obverse ovato-oblonga, ex violaceo rubra cum venis longitudinalibus saturatioribus. Filamenta villo-

losa albent. Antheræ pallide flavescunt. Germen est villosum quinquesulcatum & oblongum. Stigmata capitata virent. Etiamsi per totam æstatem copiosissimos gerat flores, nullum tamen fructum maturum huc usque obtinui.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA PRIMA.

ANTHERICUM ASPHODELOIDES. *Linn. syst. pag.* 244.
Anthericum acaule; foliis pulposis, teretibus, subulatis, supine convexo-planis
Wachend. ulcer. t. 3[illegible]

Ast one a vero demum anno floret. Radix perennat, & ætate evadit multiceps, e[illegible] stans ex fibris numerosis flavescentibus amaricantibus longisque. Scapus pedalis, suberectus, glaber, obsolete angulatus, plane aphyllus, ad foliorum altitudinem abit in racemum simplicem longum rarumque. Pedunculi proprii sempollicares & patuli suffulciuntur bractea setacea albida & membranacea. Flores gratum corticis citri odorem spirant, paucissimi simul florent, mane explicantur, & sub vesperam clauduntur ac marcescunt. Petala sunt lutea cum linea media virente, & patentissima. Filamenta etiam lutea conspicuoque villis lanata antheras sustinent fulvas. Stylus flavescit. Germen obtuse trigonum viret. Folia sunt radicalia, subulata, acuta, antice planissima, aut superiora versus quandoque leviter canaliculata, subtus convexiuscula ita ut dorsi gibbus alterum latus respiciat magis, pulposa, succo plena subflavescenti spissiori ac glutinoso, insipida, vix striata, ad oras asperiuscula ob marginem acutum limbo albo subdentato ad microscopium dumtaxat observando præditum, stricta, basibus vaginantibus in densum caput connecta, exteriora patula, interiora magis erecta, omnino numerosa. Floret æstate sub dio, hyemem transigens in tepidario. Semina ex promontorio Bonæ Spei habui.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SECUNDA.

HYSSOPUS LOPANTHUS. *Linn. syst. pag.* 390.
Cataria floribus inversis. *Hall. gœtt. pag.* 338.

Tota planta [illegible] est [illegible] odorem spirat [illegible] aromaticum magnum & ne Nepeta Cataria quiddam habentem; habituque proxime ad Calamintias accedit. Certe non video, si quidem genera stabilienda sint, quare a Nepeta debuerit avelli? In China septentrionali sponte crescit. Sub dio apud nos læte vegetat, florens a Junio ad Septembrim. Ex radice lignosa, ramosa, fibrosa & perenni, caules annuatim plures exsurgunt bipedales, tetragoni, erectiusculi, ad basin digitum minimum crassi, ramosi. Folia sunt ex ovato cordiformia, obtusa, obtuse serrata, breviter petiolata, rugosissima, opposita, facie atrovirentia. Pedunculi communes petiolis duplo longiores opponuntur sibi, ad idem omnes vergunt latus, ad extremitatemque subdichotomi flores sustinent brevissime pedunculatos a sex ad quatuordecim, inversos totos. Laedit planta sæpe foliis quibusdam ternis cum totidem pedunculis. Calyx villosus, tubulosus, striatus, parum incurvatus, quinquedentatus, patens, subbilabiatus; denticulis semilanceolatis, ferme æqualibus, superne tribus, inferne duobus. Petali ex purpureo cæruleescentis faux est ampliata. Limbus patet. Labii superioris, situ inferioris, laciniæ duæ semiovatæ & convexæ haud discrepant a laciniis lateralibus labii inferioris, situ vicissim superioris, cujus laciniia intermedia est ampla, late subrotunda, valdeque crenata. Filamenta duo corollam superantia deorsum incurvantur. Reliqua duo, corollæ tubo breviora, hujus dorso accumbunt. Stylus inter stamina longiora decurrit, stigma exserens bifidum & acutum

Semina quatuor, ovata, & fusca, in fundo calycis non mutati & infra limbum villis albis semiclausi continentur.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA TERTIA.

MELISSA PYRENAICA *Scop. ann. hist. vol. 2. pag. 55*
Melissa pyrenaica, caule brevi, plantaginis folio. *Tourn. inst.* 193
Horminum pyrenaicum. *Linn. sp. pl. pag.* 401. *mant. pag.* 413. *ed.* 2.
Gallitrichum folio rotundiore, flore magno violaceo. *Bauh. h. pl. 3. pag.* 3.3

Quum character Linnæanus sit ad siccam plantam confectus, hunc integrum hisce, ex vita desumptum. CAL. Perianthium monophyllum, campanulatum, semibifidum ad oras & externe vix visibiliter pilosum, supra depressum & triangulatum, subtus sexsulcatum, concavum; labio superiori latiori semitrifido, dentibus acuminatis subæqualibus reflexo patulis, labio inferiore bipartito: laciniis lanceolatis, acuminatis, convergentibus, etiam apicibus suis quandoque sese decussantibus. COR: monopetala, ringens. Tubus brevissimus & albidus illico expanditur in faucem, (nisi hanc tubi partem dicas,) campanulatam, amplam, calyce ferme duplo longiorem, ex purpureo violaceam, idque foris quidem saturate, intus vero dilute cum lineis saturatioribus, dorso depressam tribusque prominentibus angulatam, subtus ventriculosam & æqualem. Limbi patentissimi & concoloris labium superius est late subrotundum & emarginatum. Labii inferioris laciniæ sunt tres, subrotundæ, obtusæ, laterales integerrimæ, intermedia paulo latior & emarginata. STAM. Filamenta quatuor pallent, quorum par alterum altius ad labii superioris crenam usque pertingit; alterum par nec ad limbi originem ascendit. Antheræ pollinc flavo fœtæ ponuntur cruciatim. PIST: Germina quatuor stylum emittunt filiformem, purpurascentem, longitudine corollæ, una cum staminibus ad labium corollæ superius arcte accumbens, & stigmate donatum bifido tenui cæruleo & reflexo. PER: nullum. Semina quatuor, subrotunda, hinc angulata, illinc convexa, fusca.

Florere incipit altero vel tertio ætatis anno, mense Junio, sub dio, & perennat, ex radice nigricante digitum crassa ramosa & multiplice folia promens radicalia omnia ovata, petiolata, glabra, obtusa, hic illic parum bullata, obtuse crenata, modora & ferme insipida, petiolo ad marginem hirsuto. Scapi plures, spithamæi, suberecti, obtuse tetragoni, subvillosi, veris quidem foliis nullis, sed ad distantias paucis bracteis instruuntur cordatis, acutis, integerrimis, oppositis, villosisque, cum intra flores, tum sub verticillis. Flores utrinque bractearum axillis terni insident, breviter pedunculati, horizontaliter eodem versi omnes, ut diminutos verticillos mentiantur, præditi odore aliquo lamio gratiore

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA QUARTA.

PSORALEA PALAESTINA. *Gouan. ill. pag.* 51.

A clarissimo Allionio sub titulo dicto semina accepi, quæ terræ data produxere plantas altero anno florentes. Hæ utut congruant cum Psoralea bituminosa, diversitatem tamen constantem servant in partium multo minore tenuitate. Caules ex radice exeunt plures, bipedales vel altiores, calamum crassi, erecti, debiles, breviter pilosi, teretes & striata. Folia sunt ternata. Petioli striati & pilosi. Foliola petiolata, utrinque pilosa, dorso scabriuscula, integra; in infimis ovata vel etiam rotundiora; in reliquis lanceolata

Stu-

Stipulæ hirsutæ, paleaceæ, & ex lanceolato setaceæ. Pedunculi foliis ferme duplo longiores, striati, pilosi, & patentissimi, flores colligunt in capiculum elegans a novem ad viginti subodoratos. Bracteæ subrotundæ, exteriores tricuspidatæ, reliquæ minus. Calyx pilosus, semiquinquefidus & valde inflatus. Petalis omnibus ungues sunt longi. Vexillum & alæ ex purpureo palide cærulescunt. Carinæ albidæ apex cum purpura nigricat. Stamina diadelpha. Legumen infra rostrum, in quod excurrit, est hispidum. Et reliqua sunt ad characterem Linnæanum. Floret sub dio totam æstatem. Hyemem agit in tepidario. Tubercula nulla aut in calyce aut in alis udis partibus observo; nec venæ percurrentes colorant in nostris individuis petala. Præcipuum discrimen a Psoralea bituminosa pono in florum magnitudine, foliorum latitudine, hirsutie omnium partium magis notabili, inque habitus diversitate facilime observanda, verbis non ita explicanda.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA QUINTA.

SCABIOSA ALTISSIMA.

Arbor planta æstatem apud nos sub dio, hyemem in tepidario transigit, sempervirens, fruticosa, flores Junio & Julio, semina proferens Augusto. Caules in annosa stirpe lignosi, debiles, teretes, calamo crassiores, ramosi, humanam altitudinem attingunt, oriuntarque ex trunco ligneo brevissimo pollicem crasso. Ramos teretes & villosos folia decorant opposita, obverse lanceolata, obtusa, erososerrata, inferne valde angustata & profunde dentata, utrinque subtomentosa, palide virentia, subsessilia, inferiora sempedalia, summa acuminata & argute pinnatifideque incisa. Pedunculi terminales, teretes, longi, villosique florem sustinent suaveolentia præditum sambuci. Prima divisio esse dichotoma solet, emittens pedunculum intermediam. Calyx communis habet foliola dena, in orbem posita singularem, anguste lanceolata, acuta, corolla ferme duplo breviora, villosa, cum abundant sæpe foliolo uno alterove minori interiore. Corollæ quinquefidæ & radiantes cum purpura palide cærulescunt, aut etiam pallescunt magis. Antheræ sunt carneæ. Calyx proprius exterior campanulatus & membranaceus albet. Interior ex quinque setis constat nigricantibus & duplo longioribus. Paleæ sunt lineares & pilosæ. Stylus ex cæruleo palet. Seminum corona exterior membranacea est. Differt a Scabiosa rigida Linnæi, quod huic ab auctoribus coroliæ tribuantur quadrifidæ.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SEXTA.

EUPHORBIA MACULATA. *Linn. syst. pag.* 331.
Euphorbia minima supina rufescens. *Brown. jam. p.* 236.
Tithymalus seu chamæsyce altera virginiana, foliis crenatis & macula fusca elegantet notatis. *Pluk. alm.* 372. t. 65. *f* 8.
Chamæsyce *Sloan. hist. jam. pag.* 189.

Planta annua acris & lactescens sub dio floret totam æstatem & autumni quoque partem, in horto ex seminibus delapsis sponte nunc se ac copiose, cum sub dio, tum in caldariis, se propagans quotannis. Radix fibrosa plures in ambitum caules fundit, ramosissimos, totos quantos tellurí pressissime incumbentes, hirsutos, rubentes, teretes, nec dichotomos, quum rami alternentur sat ordinate. Folia sunt oblonga, obtusa vel acuta, superne obsolete & raritet denticulata, margine & dorso pilosa, facie glabra, brevissime petiolata, opposita, omnino numerosa, aut virentia, aut rubra, aut atropurpurascentia, rarius maculata, in ramulis extremis dense aggesta. Flores exigui & brevissime peduncu-

lati foliorum axillis solitarii insident, ob foliorum densum situm visu aggregati. Calyx ex oblongo campanulatus & hirsutus viret, limbo divisus quadrifido minimo ciliato & connivente. Petala sunt quatuor, rubra, magis minusve obsolete lobata, patentissima, cum disco subrotundo fuscescente elevato. Capsula est pilosa. Semina flavescunt. Flos auctus ad marginem exhibetur.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA SEPTIMA.

CRITHMUM MARITIMUM. *Linn. syst. pag.* 208. *Scop. carn.* 1. *p.* 219.
Critamum sive Foeniculum maritimum minus. *Baub. pin.* 288.
Foeniculum marinum, sive Empetrum, aut Cacufraga. *Lob. ic.* 392

Tota planta saporem tuaque odorem aromaticum habet. Radix teres, calam. vel majore crassitie, albida, ramosa, valde multiceps, & perennis, caules promit bipedales, teretes, debiles, se ipsos sustentare nescios, ramosos, lineatos, annuos, medulla alba refertos, modo purpurascentes saturate, modo, uti reliquæ partes, ex viridi glaucos. Folia sunt subduplicato-pinnata: foliolis particularibus sæpius ternatis, tum etiam pinnatis aut simplicibus; pinnulis ex lanceolato oblongis, acutis, integerrimis, carnosis. Costæ sunt teretes, basi vaginantes; in inferioribus foliis longæ, successive breviores, tandem vix ullæ. Sic etiam pinnæ diminuuntur numero, summa ut sint folia ternata, bifida, vel simplicissima. Involucrum universale componitur ex foliolis subovatis, brevibus, subæqualibus, acutis, patentissimis, tandem reflexis, ex flavo virentibus, a sex ad decem. Partiale cum priore congruit. Umbella universalis convexa constat radiis crassioribus, striatis, a decem ad sedecim. Flosculi omnes fertiles sunt. Petala albida, ovata, acuta, & patula apicem habent paululum reflexum. Germen est crassum & magnum. Filamentis corolla longioribus antheræ insident flaventes. Semina ex oblongo ovata, [illegible] tata, hinc plana, & illinc striata, c[illegible] bant nucleo [illegible] longo te[illegible] & co[illegible] fungoso, tota odorem spirantia aromaticum, sapore quodam apia & acri. In margine exhibetur flos auctus, & in nativa magnitudine semen utrinque, & seminis dissectio. Floret ab Augusto ad Octobrem. Semina in tepidario perficit Decembri.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA OCTAVA.

EUPHORBIA PARALIAS. *Linn. syst. pag.* 333.
Tithymalus Paralias. *Scop. carn.* 1. *p.* 338. *Cancr. epit.* 962. *Baub. hist.* 3. *p.* 674.
Tithymalus foliis linearibus, aristatis, imbricatis, stipulis umbellaribus ovato-lanceolatis, floralibus cordatis. *Hall. hist. helv. num.* 1055.
Tithymalus Paralius ex locis maritimis. *Dod. pempt.* 3. *l.* 2. *c.* 12.
Tithymalus maritimus. *Baub. pin.* 291.

Candido lacte tota scatet, estque glutinosa. Radix lignosa, ramosa, fusca, & intus albida, perennat. Caulis basi persistens novos ramos seu totidem caules annuatim gignit, omnes florigeros futuros, unde planta multicaulis evadit. Sunt vero hi teretes, erecti, pedales vel altiores, toti foliosi, glauci vel rubri, simplicissimi, dumque læsio notabilis aut truncatio accesserit, ex ultimorum foliorum axillis ramosi, portiri superne umbellatim in radios paucos quatuor vel quinque, etiam pauciores, singulos bifide subdivisos. Folia sunt ex linearibus oblonga, subacuta cum exiguo mucrone, integerrima, crassiuscula, valde glauca, uncialia, sine ordine & densa posita, in sylvestri, imprimis maritima, valde imbricata, in culta magis diffusa. Involucra universalia subovata.

In-

Involucella ex cordato subrotunda, latiora quam longa, obtusiuscula cum medio denticulo, concava, glauca, patentia, & integerrima. Calyx subrotundus & quadrisulcatus in limbum quadridentatum ciliatumque dividitur. Petala quatuor, in principio cum saturato virore flaventia, postea aurantiaca, subpeltata, ex ungue crasso in discum concavum expansa, interne subrotundum, extus quadridentatum vel bidentatum. Singulis filamentis insident antheræ geminæ subrotundæ & flavæ. Capsula est rugosa. Semina sunt ex subrotundo ovata, & albida cum maculis nigricantibus. Flores steriles sunt sine ordine fertilibus intermixti. Utrique pistillum habent; sed sterilium pistillum totum calyci est inclusum, constans pedicello pilosio filiformi & palado, cui inseritur stylus virens, stigmate capitato bifidoque terminatus; deficiente omnino germine. Ad marginem calyx & petalum aucta adpinguntur.

TABULA CENTESIMA OCTOGESIMA NONA.

POTENTILLA PENSYLVANICA. *Linn. syst. pag.* 350 *mant.* 76.
Pentaphylloides canadense, foio agrimoniæ. *Boerh. lugd.* 1 *p.* 41.

Ex radice perenni, lignescente, fusca nigricante, intus alba, & saporis adstringentis, altero ætatis anno & subsequis caules assurgunt sesquipedales, recti, teretes, annui, mollibus albidisque pilis hirsuti, ramis erectis auctis. Pedunculi villosi ramosi extremique subdichotomi eriguntur. Calycis villosi laciniæ exteriores sunt ex lanceolato lineares, interiores triangulares & duplo latiores. Petala obverse ovata, emarginata, lutea, calyce vix longiora. Stamina & pistilla etiam lutea sunt. Semina subovata & rugosa fuscescunt. Folia radicalia sunt pinnata ex costa longa, hirsuta, tereta, ac antice sulcata, tum ex foliolis utrinque quaternis vel quinis cum terminante impari, oblongis, mollibus, villosis, margine & ad venas nervosque dorsales pilosis, serrato-incisis, lineatis, inferioribus alternis, exterioribus gradatim majoribus, sessilibus, cum intermediis quandoque pinnulis minutis, laciniis sublanceolatis, obtusiusculis cum pilorum fasciculo terminante. Extima duo foliola basilius conflantur. Caulina volumine & numero foliolorum successive decrescunt, cæterum similia. Stipulæ sunt lanceolatæ. Floret Junio & Julio. Septembris initio semina maturescunt.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA.

GENISTA SIBIRICA. *Linn. mant.* 571

Duodecim jam ante annos semina hujus frutices sub eodem titulo ab illustri Linnæo accepi, quæ sata plantas produxere adhucdum persistentes, nunc quinquepedales, erectas quidem, sed tenues & debiles, ut ipsæ sustentare sese nequeant. Caules lignosi, teretes, calamum crassi, nullatenus angulosi aut striati, ex fusco cinerascunt. Rami juniores, etiam teretes, & nitidi, inferne purpurascunt, cæterum virent, eriguntur, multosque ramulos axillares & simplices progignunt, ut sic paniculati evadant. Flores inodori, breviter pedunculati, & solitarii, egrediuntur ex minimorum foliorum alis. Calycis ex flavo virentis & tubulosi limbus est quinquedentatus: dentibus setaceis, villosiusculis, subæqualibus, sub dorso vexilli ab invicem remotis. Corolla tota lutea est. Vexillum ex ungue brevi expanditur in brecteam ovato-oblongam, obtusissimam, emarginatam, erectam, antice longitudinali sulco notatam, lateribus reflexam. Omnia petala æqua longitudine gaudent. Antheræ lineares eriguntur. Reliqua in flore cum Linnæano charactere congruunt. Legumen maturum hosce annos non tulit. Folia sunt anguste lanceolata, acu-

nuata, integerrima, subpetiolata, inordinate alternantia, uncialia, summa multo minora. Materies est albida & dura. Tota glabra est. Radix lignea & ramosa.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA PRIMA.

TOMEX DUBIA.

Arbuscula sempervirentis, ætatis annum tertium agentis, jamque tripedalis, suprema partem pabulo expressit, caudice erecto, teretis, ad basin digitum crasso, cortice indato cinereum. Radix in crura dividitur. Folia ramos obsident oblonga, acuta, utrinque attenuata, denticulata sic ut juniora videantur integerrima, glabra, firma, inordinate alternantia, petiolis teretibus brevibusque donata, plus minus quadruncialia, inodora, & saporis subadstringentis. Pedunculi trifiori vel uniflori ex ramulis novellis exoriuntur sparsim & sine ordine, nunquam axillares, teretes, patuli, longitudine fere petiolorum. Pedunculi proprii sunt breviores. Flores sunt inodori & parvi. Perianthium monophyllum, minimum, quadridentatum, viride, & ad microscopium calatum, persistit. Petala quatuor, subovata, sessilia, obtusissima, plana, æqualia, albaque, patent, & decidunt plerumque conjuncta una cum adhærentibus filamentis, ut corollam monopetalam ut spicari posses. Scilicet filamenta, quæ numero quatuor, alba, petalis brevioribus parvula, subulataque sunt, basibus gaudent bifidis, quibus accrescunt singulis duobus vicinis petalis, quæ sic connectunt, levissima tamen vi vel sponte etiam divellenda. Antheræ albent. Germen superum, ovatum, nitidum & viride coronatur stigmate crasso peltato, luteo & semiquadrifido. Fructus, qui nulli ad maturitatem pervenerunt, quantumvis ad Septembrim usque perstitissent mulci, volumine tunc parum auctii, fuerunt ovati, glabri, obtusi, quadriloculares. Seminum numerus manit incertus. Floret sub dio mense Julio. Hyemem agit in repidario, fortasse originis Afræ. Auctus flos adstat in margine. Quoniam proxime accedit ad Tomicis Linnæanum genus, huc dubium stirpem retuli, donec fructus innotescat, & statuat de genere. Ad Calicarpam reduci ob coronem polypetalam nequit.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SECUNDA.

CARDUUS ARGENTATUS. *Linn. mant.* 280.

Annua & pedalis planta ex radice albida & ramosa in caulem assurgit striatum glabriusculum & ad ipsam jam originem ramosum. Folia sunt oblonga, pinnatifide sinuata, acuta, glabriuscula, per totum caulem decurrentia, spinis parum pungentibus cristata, adspersa ad limbum maculis albis, quæ in adulta magis obsolescunt. Pedunculi longi, teretes, tomentosi, ferme aphylli & uniflori erigunturur. Calyx ovatus & connivens ex squamis componitur lanceolatis, erectis, desinentibus in apicem subulatum & mucronatum, in flore innocuum, in fructu nova rigiditate donatum & mediocriter pungentem. Floscuili pauci & erecti purpurascunt. Semina albida striata nitidaque pappum gerunt pilosum & cinereum. Post seminum maturitatem calyx a pedunculo sponte decidit. Floret sub dio a Julio ad Septembrim.

TA-

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA TERTIA.

HASSELQUISTIA CORDATA

Semina sub memorata titulo accepi a reverendo Joanne Jacobo Dick, sibi sic missa ab illustri Spielmanno. Hæc a triformibus Hasselquistiæ ægyptiacæ seminibus, in tabulæ octogesimæ septimæ margine exhibitis, solo differunt volumine ad unam tertiam partem minore, ut tam delineatione quam descriptione supersedere possim. Sub dio terræ commissa primo vere, plantas produxerunt Augusto florentes. Radix est annua & albida. Caulis ab ipsa jam basi ramosus erigitur, sesquipedalis, teres, striatus, cavus, asperiusculus pilisque brevissimis hirtus. Folia variant, pleraque ternata, summa vero & infima quædam simplicia. Petioli teretes, striati & hispidiusculi oriuntur ex vagina brevi. Foliola sunt integra, crenata, utrinque villosa, obtusa; lateralia sessilia & subovata; terminale petiolatum, cordatum in infimis, in superioribus autem ex ovato subrotundum. Involucrum universale constat ex foliolis circiter duodenis, setaceis, hirsutis, reflexis, inæqualibus, umbella triplo brevioribus. Particulare ex plane similibus, sed pauciioribus patentissimis & exterioribus umbellulam excedentibus. Radii tenues & subtus pilosissimi constituunt umbellam planam ac densam, in cujus centro desideratur corpus illud singulare, quod conspicitur in ægyptiaca. Petala sunt alba, patentissima, plana, obverse ovata, in ambitu umbellæ majora & radiantia, quandoque ob apicem leviter inflexum subcordata, in uno latere intra medium appendicula inflexa auriculata. Flos radians auctus [illegible] in margine.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA QUARTA.

CONIUM AFRICANUM. *Linn. syst. pag.* 207 *mant. spec. pl.* 2. *pag* 350

Caucalis africana, folio minore rutæ *Boerh. lugd.* 1. *p.* 63. *t.* 63.

Annua planta, nixa radice fusiforme tenui & albida, tota glabra, glauca, & odorata cum quadam levistici & opii specie, saporem subacrem levemque opii possidet. Folia radicalia sunt multiplicato-pinnata; pinnulis linearibus, obtusiusculis, parvis, planis, numerosis, confluentibus. Petioli longi, lineati, subcompressi, & inanes, ex brevi vagina oriuntur. Caulina & ramea congruunt, solummodo successive minora, quandoque opposita. Caulis brevissimus, vix pollicaris, aphyllus, & striatus, erigitur, in umbellam solutus ex octo circiter radiis compositam, raram, inque juniore jam plantula florentem. Tunc tandem in hujus ambitu ex foliorum radicalium & subradicalium axillis alii caules prodeant ascendentes, sempedales vel altiores, ramosi, striati, medulla alba subfistulosa farcti, ferentes umbellas plures, centrali minores. Hinc insolita exsurgit umbelliferæ facies. Involucri universalis foliola sunt fere sena, lanceolata, acuminata, brevia, patentia, concava. Partiale simile est. Umbella est convexa. Flores in umbella centrali ferme omnes fertiles; in aliis sunt pauci, qui germine carent, steriles. Flos centralis modo sessilis est, modo pedunculatus. Petala alba, ovata, acutiuscula, patentissima, ob lineam longitudinalem mediam interne elevatam biconcava. Germen muricatum. Styli breves, obtusi, in flore erecti, postea reflexi. Filamenta petalis duplo longiora, albida. Antheræ subdidymæ & incumbentes virent cum suffusa purpura. Fructus est ovatus, odore præditus & sapore aliquo levisticci, in bina semina bipartibilis, hinc plana, illinc striata cum striis obsolete muricatis. Ad marginem sunt flos auctus, semen in nativa magnitudine utrinque conspectum, ejusdemque auctiori transversa sectio.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA QUINTA.

CAUCALIS HUMILIS.

R[illegible], tres q[illegible], [illegible], [illegible], teres & [illegible] ecta, caulem producit diffusum, vix semipedalem, teretem & striatum. Folia rad[illegible] calia ex petiolo longo, subtus convexo, facieque sulcato, oriuntur bipinnata, foliolis ipsis pinnatifide incisis in lacinias lanceolatas planas crassiusculas & subacutas. Caulinorum & rameorum petioli, imprimis superiorum, sunt vaginantes & membranacei: pinnulis ferme sin[illegible]bus. Et petioli & folia sunt ad lentem ciliata. Pedunculi oppositifolii & patuli umbellam gerunt plerumque bifidam, aut trifidam, rarissime simplicem, sussultam involucri foliolo unico brevi acuminato angusto & integerrimo; quandoque nullo. Umbellæ particulares constantius componuntur ex flore centrali subsessili, & quinque pedunculatis in amplitu. Vidi tamen etiam trifloras & septemfloras. Involucri partialis sunt foliola quinque, patula, lanceolata, acuta, integerrima. Germina magna, hispida pilis hamosis. Petala in principio rubra, deinde alba, ob inflexum apicem acutum cordata, pa[illegible]tissima, exteriora pauxillo majora. Filamenta brevia. Antheræ rubræ. Styli brevissimi. Stigmata brevia, obtusa. Semina oblonga, hinc plana, inde convexa striata fusc[illegible]tia & setis rectis pallidioribus hispidis rigidis & simpliciter aut bifide trifideve uncinatis hispida; inodora, ferme insipida, in apice a stylis persistentibus biaristata. Caulis, rami, petioli, pedunculi & radii sunt hirsutuli & subscabri. Floret Junio & Julio. Fructescit Augusto. Ad marginem auctus repræsentatur flos; tum in nativo volumine semen utrinque conspectum, ejusdemque aucti transversa sectio. Quum ad nullam referri hæc planta possit Echinophoram Columnæ, nec esse etiam varietas Caucalidis maritimæ, sub quo titulo semina accepi, tanquam novam proposui.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SEXTA.

AMMI COPTICUM. *Linn. syst. pag. 206. mant. 56.*

H[illegible] acceptam. Primo vere sub dio commissa terræ semina produxere plantas bipedales, Julio & Augusto florentes, Octobri maturis fructibus onustas. Radix calamum crassa ramosa & annua odorem dauci aliquem saporemque habet. Caulis ramosus, glaber, teres, striatus, æqualis, viridis cum striis pallidioribus. Rami similes. Folia sunt tripinnata, glabra; costis ad basin margine membranaceis. Foliola linearia, facie plana, dorso sulcata, in superioribus minus divisa. Umbellæ planiusculæ, diametro sesquunciali, erectæ, nec densæ, constant umbellulis a septem ad quatuordecim convexis magisque densis. Involucri universalis foliola sunt a quatuor ad septem, linearia, glabra, inæqualia, pa[illegible] radius breviora; inter quæ pauca quandoque, nec semper, adsunt trifida aut pinnatifida. Partiale habet foliola a quinque ad octo, omnia integerrima, linearia, exteriora longitudine radiorum, reliqua breviora. Germen viret, simul ex albo muricatum. Petala sunt subæqualia, alba, dorso hispida, ob apicem acutum valde inflexum cordata, patentia. Filamenta alba & longitudine corollæ gerunt antheras atropurpureas bifidasque. Fructus subovatus & compressus in segmina abit semiovata, acutiuscula, fusca, gibba, obsolete muricata ut matura ad oculum nudum talia non credantur, quinquestriata, odoris & saporis aromatici, ad apium graveolens accedentis, simulque pungentis. Ad marginem sistuntur semen hinc atque inde conspectum, ejusdem aucti dimidia inferior pars, & auctus flos.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA SEPTIMA.

ATHAMANTA PYRENAICA.

Athamanta Libanotis major Halleri. *Gouan. ill. pag. 83. t. 26?*

S[illegible] elegans planta floruit subsequo anno mensibus Junio & Julio, fructumque maturum Augusto tulit. Multa quidem habet cum Athamanta Libanotide communia; sed habitus atque diversissimus, plantæ pyrenaicæ patentissimus & diffusus, quem nec in cultis nostris hortensibus, nec in sylvestribus copiosissimis Libanotidibus, cum alpinis, tum aliis, unquam vidi, facit, ut diversas species credam. Radix pollicem crassa, ramosa, & capillata, foris fuscescit, intus pallet. Caulis bipedalis erigitur, basi pollicem æquans, medulla laetus albida, subvillosus, quam maxime sulcatus & angulatus, uti demonstrat conspicuta discissi caulis pars, vel ab ipso exortu ramis ornatus patulis, striato-sulcatis, [illegible] subtriangularibus, superne glabriusculis, oppositis & alternis, propriæ longitudinis, & ipsis ramosis. Folia radicalia sunt multiplicato-pinnata & circumscriptione ovata. Costa subvillosa, inferne teres, & ad pinnas canaliculata, oritur ex vagina membranacea & striata. Pinnulæ ultimæ sunt lanceolatæ, acuminatæ, planæ, margineibus ad microscopium ciliatæ, cæterum glabræ, integerrimæ, & confluentes in foliolum ambitu ovatum & sessile. Ex costis particularibus ad ipsum egressum ex costa principe foliola utrinque prodeunt pinnata minora cruciatim posita; atque parentis hoc in foliis caulinis quidem ramicisque inferioribus, plane autem non observatur in iisdem superioribus. Umbellæ universales sunt amplæ, convexæ, erectæ, ex radiis numerosis angulatis & glabris. Quæ fitur in tabula, ellipsin ramo, atque ad hanc circiter magnitudinem umbellas rameas omnes pervenire vidi. Caulem ipsum quæ terminat, dimidio amplior est. [illegible] apud nos culta hæc planta quam maxime debeat, si Gouanana sit. Ob plantæ divaricationem ramum exhibere solum potui. Umbellæ partiales sunt hemisphæricæ & densissimæ. Involucri utriusque foliola sunt decem aut plura, linearia, acuta, universalis reflexa, partialis patentissima. Petala sunt ex ochroleuco albida, ex ovato subcordata cum apice acuto antrorsum inflexo, dorso pilis paucissimis hirsuta, subæqualia, patentissima. Antheræ pallent. Germen compressum & obverse ovatum pilis albis est villosum. Styli sunt breves. Fructus ovatus obtususque in femina dividitur subovata, cinerea, hinc plana, inde hispido-villosa & quadrisulcata, vix odora, saporis subacris & valde ingrati. Ad marginem exhibentur folii radicalis subdimidiata pars, flos auctus, semen utrinque conspectum, idemque auctum discissum.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA OCTAVA.

CARUM BUNIUS. *Linn. syst. pag. 733. Gouan. ill. p. 20.*

Bunius. *Dalech. hist. 774. Bauh. hist. 3. part. 2. pag. 29.*

Daucus petroselini vel coriandri folio. *Bauh. pin. 150.*

Saxifraga montana minor petroselini vel coriandri folio. *Moris. hist. 3. p. 274. s. 9. t. 2. f. 16.*

Pyrenaica planta, [illegible] ad [illegible] trata non grat, primo fa[illegible] anno folia fo[illegible] floralia, altero caulem profert Majo & Junio, Julio & Augusto semina, atque tunc perire in horto solet. Radix fusiformis, digitum crassa vel tenuior, albida, odore & sapore dauci aliquo prædita, fundit caulem vel ipsam supra originem valde ramosum diffusumque, bipedalem, teretem, lineatum, obscure purpurascentem, foliosum, erectum, ad nodos sæpe flexuosum, calami crassitie vel tenuiorem, quem in herbido & uberiori so-

[illegible] observavit. Folia radicalia & caulina inferiora sunt [illegible] costa communi longa, subtus convexa, antice carinata, basique paulatim di[illegible] te; & ex foliolis petiolatis cum terminante impari utrinque tribus, circumc[illegible] triangularibus, trilobatis, serrato-incisis, & acutiusculis. Caulina superiora & r[illegible] sunt in vagina sessilia, & successive superiora evadunt tenuiora, ut tandem sint setacea. Prima folia post cotyledones sunt simplicia, cordato-subrotunda, semitriloba & [illegible] Umbellis terminalibus & oppositifoliis, erectis, planis, sex-vel decemradiatis, foliolis involucri, rarissime ex integro deficientis, subjectur unum alterumve setaceum. Simul plerumque terna foliola absolvunt involucrum partiale. Flosculi in qualibet umbella sunt a novem ad tredecim, albi, quos inter vidi germine destitutos abortivos rarissimos. Germen oblongum, compressulum, striato-sulcatum, glabrumque est. Petala ob apicem inflexum valde cordata, patentissima & subæqualia. Filamentis albis antheræ insident sulphureæ. Fructus ex oblongo ovatus in bina dispescitur semina oblonga, pallide f[illegible] hinc plana, illinc convexa & striis elevatis quinis notata, quarum utrinque exterior obsoletior est; odoris vix ullus, saporis pauci nec grati. In margine effingitur semen in naturali magnitudine; tum idem, ejusdem transversa sectio, & flos.

TABULA CENTESIMA NONAGESIMA NONA.

PASTINACA LUCIDA. *Linn. syst.* 216 *mant* 58. *Gouan. ill p.* 19 *t.* 11. *et* 12. Pastinaca folio quasi libanotidis latifoliæ. *Boerh. lugd.* 1. *p.* 67

Succ[illegible] tico, forti, manibus diu inhærente, singulari nec facile comparando, & ingrato; sapore autem acerrimo & pungentissimo. Insulas incolit Baleares; in quibus lectum siccatumque ante septuaginta annos specimen, Garcilioque donatum, quod ego nunc possideo, saporem odoremque suum in hunc diem servavit. Umbellifera elegans, totaque gl[illegible] berrima, sub dio sata, primo anno producit mera folia radicalia, quæ sunt cordata, obtusa, crassa, firma, facie lucida & atrovirentia, dorso pallidius & per venas reticulata plurimas, hinc rugosa, crenata cum denticulis albidis, magis minusve subtriloba aut subquinqueloba; petiolo instructa longo, compresso, striato, intus fibrose solido, ad basin purpureo, ipsa spathamæa. Folia radicalia secundi anni & caulina inferiora congruunt cum prioribus, præterquam quod primum prodiens tunc folium radicale soleat esse ternatum, cujusmodi non colorati adstat delineatio in margine. Ramea oriuntur ex vagina sulcata crassa amplexante & connivente; ovata aut magis subrotunda, nec cordata, nec lobata. Atque hæc ita se hucusque habuerunt in omnibus individuis nostris sesquipedalibus. In suis vero, quibus humanam fere altitudinem adscribit, vidit clarissimus Gouan caulina folia priora ternata, secunda quinata. Caulis teres, firmus, erectus, digitum crassus, medulla alba rariter farctus, per totam longitudinem ramos promit axillares, adscendentes, ultimos ultra umbellam principem elatos atque oppositos. Involucrum universale plerumque nullum, vel adest unifolium membranaceum & concavum. Umbella convexa radios habet circiter quindecim striatos & firmos. Totidem sunt etiam radii umbellulis partialibus, quibus involucrum deficit perpetuo. Flosculi omnes fertiles petalis gaudent luteis, ovatis, integris, acutis cum apicibus antrorsum inflexis. Germinum vertex est tuberculosus. Styli brevissimi. Semina sunt orbiculata, compresso-plana, emarginata, ex fusco pallentia, glabra, sapore & odore ipsius plantæ, ad marginem in naturali magnitudine utrinque depicta; quibus adstat flos auctus. Floret Junio & Julio, semina dans Augusto.

TA

TABULA DUCENTESIMA.

SISON AMMI *Linn. fy. ſt. pag.* 212. *Gouan. ill. p.* 17
Ammi. *Cam. epit.* 522
Ammi alterum parvum. *Dod. pempt.* 2. *l.* 5. *c.* 6.
Ammi parvum, foliis fœniculi. *Bauh. pin.* 159
Fœniculum lusitanicum minimum acre. *Shaw. afr. num.* 99. *tab.* 24

Tota planta glabra eſt, & tota odorata. Caulis ex radice annua, albida, tenuiter fuſiformi, fibrillofa, prædita que apii odore & ſapore cum exigua acredine, exoritur teres, lineatus, nitidus, ſubdichotomus, & pedalis. Folia ſunt multiplicato-pinnata. Coſtæ teretes, lineatæ, ſupra ſulcatæ, baſi membranaceæ. Pinnulæ planæ, acutæ, profunde virides, numeroſæ, in radicalibus lineares, brevesque, in caulinis ſuperioribus capillares & longiores. Involucrum nec univerſale nec partiale unquam vidi. Omnes umbellæ foliis opponuntur, compoſitæ ex radiis a duobus ad quinque, modo longe pedunculatæ, modo vere ſeſſiles. Umbellulæ inæquales planiuſculæ rarique floſculos gerunt quindecim aut plures, exiguos, mihique viſos omnes fertiles. Petala albida, ovata, acuta, æqualia, concava, patentiſſima. Filamenta ſubulata, petalis duplo breviora, erectiuſcula. Antheræ purpuraſcunt. Germen ſtriatum glabrumque. Fructus parvus & compreſſo-ſubrotundus ſecedit in ſemina duo, hinc plana, illinc gibba & quinque ſtriis plurimum protuberantibus notata, trita odoris aromatici, ſaporis fere ſeminum apii. Floret ſub dio Auguſto & Septembri, pergitque in tepidario florere ad Januarium usque. Semina prima maturaſcunt Octobri. Tabula repræſentat plantam juniorem, quæ tandem multo evadit ramoſior. Ad marginem adſtat flos multoties auctus; tum ſemen utrinque viſum in naturali magnitudine; dein ſemen auctum ejusdemque transverſa diſſectio.



Justicia ciliata L.

Lythrum Salicaria

Gorgon oblongifolia

Mentha Sativa

Fumaria officinalis

Sida Inguinalis

Cytisus prostratus

Euonymus atropurpureus

Betula lenta.

Ribes cynosbati

Stichos bingulensis

Plantago alpina

T. 126.

Plantago Coeflingii

Phlox maculata

Pancalis latifolia

Anethum segetum

Sium nodiflorum.

Spilanthes oleracea

Tradescantia crassifolia

T. 138.



Gypsophila Arenaria

Spiræa chamædrifolia

Tab. 142.

Malva Thuringiaca

Helicteres [illegible]

Sisymbrium officinale

Bunias orientalis

Vicia Illyrica

Onopordum arabicum

Hyoseris lucida

Potentilla paniculata

Salvia napifolia

T. 153.

Sedum dasyphyllum


a.

T. 155.

Ribes fenzlianum

Arum peltatum

Cistus Creticus

Convolvulus dispectus

Helianthus altissimus

Helianthus tuberosus

Passiflora laurifolia

Passiflora tuberosa

Eupatorium alt. mum

Nissolia fruticosa

Sisymbrium officinale

Sinapis Nigra

Sisymbrium officinale

Sisymbrium officinale

T. 174.

Astragalus tomentosus

Verbena [illegible]

Cyp. Cic. Microsperm.

Hyacinthus autumnalis

Oxalis [illegible]

T. 186.

Euphorbia maculata

Seseli Gallicum

T. 195.

Ammi visnaga.

INEDX
UTRIUSQUE CENTURIÆ.

La-